QUAESTIONES
DE PARODI IN COMOEDIA ATTICORUM ANTIQUISSIMA COMPOSITIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA
HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM
ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HUGO ROSENBUSCH
HANNOVERANUS

MARPURGI CATTORUM
TYPIS FRIEDERICI SOEMMERING
1892

PARENTIBUS CARISSIMIS
SACRUM

Prooemium.

Comoediae antiquissimae Graecae compositionem eandem esse atque tragoediae usque ad nostram aetatem omnes fere viri docti iudicaverunt. Neque est dubium quin poetae in comoediis componendis tragoediarum exemplo usi multa inde transtulerint. Tamen (cum tanto distet comoedia a tragoedia) poetas comicos certam illam ac definitam tragicorum normam non omnino conservasse, sed singulas partes ex sua ipsorum inventione aut mutavisse aut addidisse verisimile est. Id quod — ut minora omittam — ex parabasis quae vocatur partitione apparet. Quae differentia cum nullo modo ita explicari possit, ut comoediae, postquam e tragoedia orta est, addita sit parabasis, non sine probabilitatis specie *Zielinski* [1]) rem ita instituit, ut non ex tragoediae compositione, sed ex ipsis comoediis comparatis enuclearet, quibus legibus usi poetae comici fabulas condiderint.

Et primum quidem veterum de hac re testimonia colligenda et examinanda videntur, num quid ad eam quam tractamus rem intellegendam conferant. Sed haud ita magnus inde percipitur fructus, cum non nisi scholiastarum verba servata sint pauca et mutila.

---

1) *Th. Zielinski*, Die Gliederung der altattischen Komödie. Leipzig (B. G. Teubner) 1885.

Perscrutanti haec testimonia Lysistratae et Ecclesiazusarum nihil adferunt emolumenti. Ea quibus Pax et Aves aucta sunt, cum utriusque in fabulae scholiis vox sollemnis *πάροδος* non extet, loco inferiore tractabo. In fabulis Acharnensium Equitum Nubium Vesparum Ranarum quam ob rem hic aut illic parodum incipere scholiorum auctores iusserint facile cognoscitur. Nam ubi primum chorus verba facit, ibi e scholiastae sententia principium parodi statuendum est[1]).

De parodi exitu quid scholiasta aut is fons ex quo ille fluxerit iudicaverint, quamquam in duabus tantum fabulis, Acharnensibus Equitibusque, versuum qui parodum efficiunt numerus a scholiasta affertur, tamen etiam ex ceteris fabulis facile restitui potest[2]). Nam sine dubio credit scholiasta complecti Nubium parodum versus 275—313, ubi antistropha finita est, Vesparum versus 230—315, unde stasimum quod nominatur initium capit. Ranarum quem ad versum parodus pertineat dubitari potest.

Ex hisce satis intellegitur scholiastas in parodo determinanda secutos esse definitionem illam parodi

---

[1]) cf. schol. Ach. v. 204: *Ἐντεῦθεν ἡ πάροδος γίνεται τοῦ χοροῦ.* Equ. v. 247: *Ἐντεῦθεν ἡ πάροδος γίνεται τοῦ χοροῦ.* Nub. v. 275: *τοῦ δὲ χοροῦ τὰ ἑκατέρωθεν λέγουσι παρόδους, οὔσας ιζ´ κώλων.* Vesp. v. 230: *οἱ τοῦ χοροῦ δὲ ἀλλήλοις ἐγκελευόμενοι τὴν πάροδον ποιοῦνται.* Ran. v. 316: *Ἡ πάροδος τῆς ᾠδῆς ταύτης τοῦ τῶν μυστῶν χοροῦ κώλων ἐστὶν ἀντισπαστικῶν δύο διμέτρων βραχυκαταλήκτων.*

[2]) cf. schol. Ach. v. 204: *εἰσέρχεται γὰρ ὁ χορὸς διώκων τὸν Ἀμφίθεον, καὶ ἔστι μεταβολικὸν μέλος ἐκ δύο μονάδων μονοστροφικῶν, ὧν ἡ μὲν πρώτη ιδ´ κώλων ἔχει τὰς περιόδους* (vv. 204—218 = 219—233). Equ. v. 247: *οἱ δὲ στίχοι τροχαϊκοὶ τετράμετροι καταληκτικοὶ λζ´ · ὧν τελευταῖος καὶ τέμαχος οὗ Περικλῆς οὐκ ἠξιώθη πώποτε.*

Aristotelicam quae scripta legitur artis poeticae capite duodecimo: *χορικοῦ δὲ πάροδος μὲν ἡ πρώτη λέξις ὅλη χοροῦ*. Nam si obiter tantum hic locus comparatur cum scholiis nostris, neminem esse puto quin censeat qui scholia componebant eos ex nulla alia re nisi ex hac Aristotelis parodi descriptione profectos esse [1]).

Quod in Avium scholiis vox *πάροδος* non commemoratur, facile ita explicari potest ut scholiasta, cum chorus non universus orchestram ingrediatur, sed singuli deinceps, haesitaverit ubi parodi initium sit statuendum. Pacis autem in scholiis cur non extet illa vox, minime liquet.

Revocamur igitur ad Aristotelem ipsum. Quam ob rem quoniam Aristotelis parodi definitione comoedia [2]) non comprehenditur, facere non possumus quin hasce scholiastarum definitiones parvi aestimemus atque quaestiones nostras ad comoedias ipsas reducamus. Ac primum quidem causas afferamus, quibus commoti parodorum initia atque exitus descripsimus, deinde paulo fusius disseramus de parodi compositione.

Parodum igitur cum in eis quae sequuntur brevitatis causa comoediae antiquissimae graecae eam partem quae prologo succedit appellamus, quaecunque cum chori introitu artiore coniuncta sunt vinculo intellegi volumus [3]).

---

[1]) cf. *Leopold Schmidt*, Index lectionum semestris aestivi. Marpurgi 1889 p. VIII sq.

[2]) Dolendum est Aristotelis tractatum *περὶ κωμῳδίας*, qui altera pars erat artis poeticae, nobis non traditum esse.

[3]) cf. *Zielinski* p. 127.

Caput I.

De parodi finibus.

§ 1.

Parodorum ad fines constituendos plurimum valet ea quaestio quod metrum ante parodum, quod post parodum inveniatur. Nam cum comoediae diverbia vel episodia condita sint trimetris iambicis, parodi fines ipso metro ita describi apparet, ut unde primum trimeter iambicus esse desinit, parodus initium capiat, unde trimeter iambicus redit, parodus exitum habeat. Neque discedunt hac a lege Pacis et Ranarum quae nominantur *παραχορηγήματα*; nam consentaneum est harum partium, quamquam omnium consensu ne minimum quidem cohaerent cum parodo, metrum discrepare a prologi trimetris iambicis[1]).

Introspiciamus nunc quod metrum in singulis fabulis extet ineunte parodo. Acharnensium inde a v. 204[2]), Equitum a v. 242, Pacis a v. 299, Avium a v. 268 exhibentur tetrametri trochaici catalectici, Nubium a v. 263, Ranarum a v. 354, Ecclesiazusarum a v. 285 tetrametri anapaestici catalectici, Vesparum a v. 230, Lysistratae a v. 254, Pluti a v. 253 tetrametri iambici catalectici. Quas ad parodos accedit Ecclesiazusarum quam Pollux IV, 108 appellat *ἐπιπάροδος*, ubi tetrametri iambici permixti sunt cum monometris

[1]) cf. *Hornung*, De partibus comoediae graecae. Berol. 1861 p. 12. — *A. Müller*, Griech. Bühnenaltth. p. 177 sqq. — *J. Richter*, Prol. ad Pacem p. 40 sq.

[2]) Editione usus sum Meinekiana Lipsiensi a. 1860.

iambicis[1]). Manifesto igitur intellegitur omnium parodorum initia ex tetrametris esse composita.

Earum exitus autem sine dubio ponendus est, ubi prologi vel episodii metrum i. e. trimeter iambicus denuo reperitur: id quod dilucide apparet ex Acharnensium v. 347, Nubium v. 478, Pacis v. 520, Avium v. 435, Lysistratae v. 387, Ranarum v. 460, Ecclesiazusarum prioris parodi v. 311, alterius parodi v. 520, Pluti v. 322. In Equitibus parodum subsequitur agon[2]), qua voce sollemniter uti tota in hac commentatione mihi liceat[3]), in Vespis parodum excipit v. 316 Philocleonis canticum, quod mea quidem sententia cum parodo minime coniunctum est, immo agonis, quem puto inde a versu 353 incipere, quasi prooemium est.

§ 2.

Alteram rationem parodorum fines cognoscendi praebet quaestio, utrum ineunte et exeunte parodo

---

[1]) Cur in Avibus iam a versu 299 atque in Ranis iam a versu 324 metrum commutetur, postea explicabimus.

[2]) cf. *Zielinski* p. 9 sqq. (p. 110 sqq.).

[3]) Voce ἀγών designat *Zielinski* comoediae partem quandam quae interposita est omnibus fere in fabulis inter parodum et parabasin. (cf. *Zacher* in: Wochenschr. für klass. Phil. 1886. III. No. 49—51.) Iam *R. Westphal* (Metrik II, 401 Prolegg. ad Aesch. p. 97) hanc partem comoediae propriam intellexerat, quam appellat σύνταγμα. *Th. Bergk* eandem adhibet vocem sollemnem ac *Zielinski* in opusculis phil. minoribus (ed. *R. Peppmüller*) II, 731. Deinde conferas *Nesemann*, De episodiis Aristophanis p. 43 qui ea certamina „comoediae nobilissimam partem", p. 51 „totius comoediae partis scenicae umbilicum" nominat, *Braeuning* in tractatu de Aristophanis Pace (Jahresbericht d. Stadtgymnasium Halle 1874): „Das Syntagma scheint fast wie die Parabase ein wesentlicher Teil der alten Komödie gewesen zu sein, den wir überall an einer bestimmten Stelle wiederkehren sehen."

eaedem personae verbis utantur atque in versibus praecedentibus et sequentibus an aliae. In Equitibus (servus A), Nubibus (Socrates, Strepsiades), Pace (Trygaeus), Avibus (Pisthetaerus, Euelpides, Epops) eaedem personae, quae in prologi extrema parte locutae sunt, etiam parodi initio verbis utuntur. Contra in Acharnensibus Vespis Lysistrata Ranis, in Ecclesiazusarum altera parodo chorus ipse orchestram ingressus primus verba facere incipit. Hisce fabulis quodammodo attribui potest Plutus; nam Cario, qui, antequam Chremylus et Plutus in domum se contulerunt, scaenam reliquit ut domini amicos acciret, non multo post redit atque quasi coryphaei loco alloquitur chorum, qui eum subsequitur. Medium tenet inter utrumque fabularum ordinem Ecclesiazusarum parodus, ubi quae in praecedente prologo histrionum partes egerunt eaedem personae inde a versu 285 chorum efficiunt.

Multo autem difficilior est quaestio de parodi exitu.

Primum animadvertimus in vetustioribus fabulis chorum aut ilico aut paulo post parodum finitam denuo actioni interesse. Sane ubi agon parodum excipit ut in Equitibus chorum adesse necesse est. Etiam in Vespis (v. 333) Avibusque (v. 451) parvo tantum spatio intermisso incipit agon. Acharnensium[1]) Nubium Pacis in comoediis, quippe quae sint retractatae, quidquam certi mea quidem sententia numquam enucleari potest. — Contra in recentioribus fabulis ex eo, quod aut extemplo (in Lysistrata Probulus, in Ecclesiazusarum parodis I et II Blepyrus, in Pluto Chremylus) aut non multo post (in Ranis Aiacus et Euripides) personae in scaenam prodeunt quae parodi

[1]) cf. *Zielinski* p. 52 sqq.

nondum participes fuerunt, parodum ad exitum venisse manifesto colligitur.

§ 3.

Videamus qua ratione personae et ante parodi initium et post parodi exitum scaenam adeant aut relinquant.

In Acharnensibus Lysistrata Ecclesiazusarum parodo II Pluto omnes histriones abeunt a scaena, cum chorus sive solus sive una cum uno histrione (Plutus: Cario) orchestram ingrediatur. Huc etiam Vespae quodammodo spectant; nam ubi primum Bdelycleon in domum se contulit, remanent quidem Sosias et Xanthias in scaena; sed quoniam ilico denuo dormitare coeperunt, toti parodo desunt. In Equitibus apparet Paphlago in scaena paulo ante chori adventum, cum Allantopolae perterriti fugam chorus accedens retineat. In Pace priusquam chorus orchestram intravit, Cydoemus et Polemus de scaena recesserunt; ac Trygaeus solus in scaena remanet. In Nubibus Avibus Ranis Ecclesiazusarum parodo I personae non mutantur.

Certi igitur nihil ex hac re efficitur; id unum fortasse concedi potest parodi initium facile inde cognosci, quod paulo ante parodum ineuntem plurimis in comoediis cum novi histriones in scaenam veniunt tum qui aderant abeunt.

Quae vero ratio exhibita est in parodi exitu? Quibus in fabulis parodum agon sequitur, praesentes personas (i. e. et chorum et histriones) in scaena manere animadvertimus. Huius sunt ordinis Equites Vespae Aves. At vero in Acharnensibus Nubibus Pace neque quemquam earum quae adsunt personarum abire neque

aliam accedere nescio an inde repeti possit, quod hae fabulae retractatae eaeque minime perfectae nobis traditae sunt. In ceteris fabulis parodi finem inde intellegimus quod aut novae personae sese aggregant ad eas quae in scaena adsunt (Lysistrata Ranae Ecclesiazusarum parodus II) aut altera persona prodit atque altera scaenam relinquit (in Pluto Chremylus et Cario) aut chorus ipse abscedit (Ecclesiazusarum parodus I). Quoniam igitur sex fabulae (Equites Vespae Aves Acharnenses Nubes Pax) propter causas allatas exitui parodi definiendo nil praebent, ex ceteris fabulis aliquam legem vel normam minime ausim deducere.

§ 4.

Inquiramus quid ex verborum tenore et ineunte et exeunte parodo eluceat, ubi initium ubi exitum ponamus. Ac primum quidem per se liquet in eis fabulis, quarum parodi initio statim chorus orchestram ingreditur atque actioni interest, verborum tenorem prae se ferre perspicuam permutationem.

In Acharnensibus Amphitheus, quippe qui auctore Dicaeopolide cum Lacedaemoniis de foedere ausus sit agere, versu 203 verbis *ἐγὼ δὲ φευξοῦμαί γε τοὺς Ἀχαρνέας* exhibitis vix a scaena[1]) abibat, cum repente chorus versu 204 ab alia parte contento cursu vehementissime iratus aggreditur, ut proditorem ulciscatur et puniat. In Vespis ubi primum versu 227 Bdelycleon in domum se contulit, servi eius Sosias et Xanthias, ne Philocleon ab heliastis per vim ad iudicandum abripiatur, foras custodias habent. Neque

---

[1]) Ne longius aberrarem a re, per totam hanc commentationem a quaestionibus scaenicis prorsus abstinui.

multo post uterque custos arto et gravi somno opprimitur. Altum est silentium in scaena. Tum vero chorus versu 230 sodalem Philocleonem quaesiturus a parte dextera appropinquat. Vocamur ad Lysistratam. Postquam omnes mulieres sese verba a Lysistrata versu 124 proposita esse secuturas tandem more sollemni iusiurandum praestiterunt, versu 253 discedunt in omnes partes. Statim sequenti versu apparent senes, ut poenas sumant propter hanc mulierum audaciam inauditam.

Vix in Ranis Dionysus et Xanthias qui Plutonem petunt ex Empusae imagine terribili sese recreaverunt, cum subito versu 312 Xanthias tibiae sonitum e longinquo accipit. Inde autem a versu 316 audiunt iam manifestius parodi ut ita dicam praeludium a mystarum choro extra parodum orchestrae cantatum. Itaque primum abiecto consilio constituunt, ut (v. 323 ὡς ἂν εἴδωμεν σαφῶς) celebrationem accurate cognoscant, silentes sese occulere. Demum versu 354 videmus pompam orchestram incedere[1]).

Sed nunc de Ecclesiazusis agamus.

Quoniam quaecunque Praxagora proposuit postremo mulieres comprobaverunt, versu 284 scaenam relinquunt. Sed versu 285 carmina cantans chorus earundem feminarum agmine quadrato orchestram intrat simulque paulo post ex ea recedit ut una cum mulieribus rusticis migrent in contionem, ubi ut ita dicam

---

[1]) cf. *Zielinski* p. 145, *Hornung* p. 12. *Kock* in ed. Ran. p. 30, *Agthe*, Parabase und Zwischenakte der alt-att. Komödie p. 156 parodum incipere iubent a versu 324. At cur non etiam qui praecedunt versus (inde a v. 316) parodo attribuant equidem non intellego. De hac re uberius in sequenti capite disserendum est.

προβουλεύματα ab universa feminarum gente sanciantur[1]). Versu tandem 478 postquam versu 477 Chremes atque Blepyrus in domum abierunt, chorus contione finita denuo orchestram ingreditur[2]) (cf. schol. ad v. 474 *ἐξέρχεται ὁ χορὸς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας*) quam celerrime vestimentis virilibus commutatis ad coniuges rediturus.

Transeamus ad eas fabulas, quarum parodi initio non chorus ipse, sed histrio quidam verba incipit facere. Omnibus enim in hisce comoediis eae partes ab uno tantum histrione aguntur. Sane in Nubibus interrumpit saepe Strepsiades praeceptoris preces.

In Equitibus[3]) Paphlago vix conspicitur ab Allantopola, cum quam celerrime nulla mora interposita salutem petit a fuga. Quod ubi servus A animadvertit, tum ilico inde a versu 242 Equites auxilio vocat.

Sequuntur Nubes: Strepsiades, qui luxuria Phidippidis filii summam paene in paupertatem prolapsus est, ad Socratem se confert, ut artem dicendi ac litigandi discat; ea enim ratione putat homo ille

---

[1]) cf. *Hornung* p. 15: ‚Sed chorus hanc parodum canens non uti in reliquis fabulis procedit certam in orchestra stationem occupaturus et actioni interfuturus, sed transit tantum et paulo post decedit ad contionem profectus'. cf. *Agthe* p. 170 sqq.

[2]) Pollux IV, 108: *καὶ ἡ μὲν εἴσοδος τοῦ χοροῦ πάροδος καλεῖται, ἡ δὲ κατὰ χρείαν ἔξοδος ὡς πάλιν εἰσιόντων μετάστασις, ἡ δὲ μετὰ ταύτην εἴσοδος ἐπιπάροδος.* cf. schol. Vatic. Eur. Alc. v. 897 et *Cram.* Anecd. Paris. I p. 20. *A. Müller* p. 212.

[3]) cf. *Hornung* p. 16, *Muff*, Über den Vortrag der chorischen Partien bei Aristophanes p. 138, *Agthe* p. 97, *Richter*, Proleg. ad Pacem p. 47, *Arnoldt*, Chorpartien bei Aristoph. p. 43, Equites ed. *Kock* p. 30, *Zielinski* p. 130.

miserrimus domum suam ab interitu servari posse. Sed priusquam erudiatur ad veram scientiam doctrinae Socraticae, sollemniter in ea sacra admitti et recipi necesse est. Manifesto versu 263 est actionis incisio magni momenti. Nam in eis, quae sequuntur, invocat Socrates aërios deos verbis gravibus et sanctis[1]).

In Pace (v. 288) reliquerunt Polemus et Cydoemus scaenam; solus Trygaeus remansit. Idcirco sperans tum ubi omnes consilii sui hostes absint, facile fieri posse ut Pacem deam tandem rursus ad lucem efferat, inde a versu 296 ne paulum quidem dubitat quibuscunque pax cordi est, omnes advocare, qui sese adiuvent in consilio efficiendo. Plane commutatur hoc loco actio. Vides igitur magnam similitudinem interesse inter huius fabulae atque Acharnensium parodos. Sed hac in fabula valde miramur quod verborum tenor minime consentit cum structura metrica. Nam ut in paragrapho prima diximus, trimetri iambici transeunt in tetrametros demum versu 299. Nec sine probabilitatis specie suspicatur *Zielinski* p. 138, quem primum hi versus offendebant, totam huius partis naturam magis propriam esse agonis.

In Pluto Chremylus Carionem iussit agricolas ut omnes partem acciperent divitiarum cito convocare, cum ipse una cum Pluto in domum se conferat (v. 252). Sequenti versu (253) redit Cario una cum agricolarum

---

[1]) cf. *Zielinski* p. 126 sq. — cf. Ranarum parodi initium v. 354, ubi eadem fere verba inveniuntur. Nonne cohaeret horum verborum tenor cum sequentibus versibus, imprimis cum versibus 291—298 artissime? Sine dubio haec utraque pars arto vinculo coniungitur, quod iam satis elucet e concentu metrico. cf. *Hornung* p. 8. cf. Nubes ed. *Kock* p. 16, ed. *Reisig* p. XXXIV, *Richter*, Proleg. ad Pacem p. 46, *Agthe* p. 111.

choro. Evidentius puto exprimi non posse etiam versus 253—256, qui pronuntiantur a Carione, iam parodi esse[1]).

Peculiarem praebent difficultatem Aves. Pisthetaerus et Euelpides pervenerunt ad Tereum regem avium. Qui ubi ab illis quid sibi velint certior factus est, diversas proponit regiones, quibus placidissime sine labore ac negotio vivere possint. Sed nihil Atheniensibus placet. Tum subito ‚videt Pisthetaerus novum et magnum consilium in avium gente ac potentiam quae existere possit, si illi sibi obtemperent' (v. 162). Epopi primum novo consilio quasi obstupefacto et oppresso paulatim Pisthetaeri calliditate persuadetur, ut rursus illo auctore primum lusciniam excitet (vv. 209—222), deinde aves ad contionem convocet.

Quamvis ex eis quae attulimus eluceat v. 209, ubi Epops cantare coepit, actionis continuae incisionem magni momenti esse [i. e. parodum incipere], tamen nequaquam ut in ceteris fabulis fieri solet Epops tetrametris utitur, quin etiam Pisthetaerus et Euelpides, qui Epopis canticum interrumpunt, trimetris iambicis utuntur, dum avis cuiusdam voce τοροτίξ audita versu 268 primus tetrameter nobis occurrat. Quam ob rem priore paragrapho, ubi de re metrica disserebamus, versus 209—266 parodo attribuendos non esse putavimus. Sed cum propter metrum mutatum tum propter verborum tenorem negare ac vetare debemus hanc

---

[1]) Quin etiam *Agthe* p. 178 ponit parodi initium in v. 253, quamquam chorus ipse primum a v. 257 diverbii particeps esse incohatur. Nonne autem vir doctus nobis videtur secum ipse pugnare? Nam Equitnm versus 242—246, qui plane eandem naturam prae se ferunt atque huius fabulae vv. 253—256, a parodo dirimit. cf. *Zielinski* p. 157.

partem, quae quodammodo praeludium efficit parodi, prologi esse[1]).

Vidimus igitur hac fabula excepta in omnibus comoediis parodi principium, quod cum iis, quae in antecedentibus paragraphis attulimus, optime consentiret, etiam ex actionis mutatione evidenter cognosci posse.

Paulo magis lubrica est quaestio de parodi exitu. Constat actionem tragoediae ante parodi initium subsistere atque demum post parodi finem progredi. Quod quamquam in comoedia non aeque discernitur, tamen ex nonnullis quoque comoediis nostris facile perspicitur. Imprimis quae laudentur dignae videntur esse Nubes ac Ranae.

Fabulae illius parodus versu 475 ad finem perducta est. Quoniam per parodum Strepsiades a Socrate sollemniter sacris imbutus est, versu 476 chorus praeceptorem adhortatur, ut Strepsiades disciplinam iam ante parodum leviter institutam tum pergat atque ingenii vires exploret. Neque ulla interposita mora Socrates inde a versu 478 dearum iussum exsequitur. Ranarum ex prologo cognovimus Dionysum et Xanthiam Plutonis aedificium petere. Atque

---

1) cf. *Zielinski* p. 140. — Temporibus praeteritis viri docti ut *Hornung* p. 10 („Huic i. e. Nubium parodo forma non dissimilis est parodus in Avibus, quae v. 310 incipit, postquam aves ab upupa advocatae iam inde a v. 296 ingredi coeperunt') *Agthe* p. 130 („Der Einzug der Vögel beginnt zwar schon bei V. 268. Doch erst von V. 310 an nehmen sie am Gespräch Teil, und sowie in den Wolken Sokr. u. Str. sich vorher über die Eintretenden unterhalten, so geschieht es auch hier; die eigentliche Parodus beginnt also erst bei V. 310') alii sine ullo scrupulo censebant versum 310, ubi totus chorus orchestram ingreditur, parodi esse initium.

illi, cum parodus finita sit, qua mystarum celebratio agitur, iter reliquum conficiunt[1]).

De ceteris fabulis id unum certe contendi potest actionem quae parodi initio instituebatur exeunte parodo finitam esse atque in eis quae sequuntur novam actionem incohari. Proficiscamur ab Acharnensibus. Dicaeopolis postquam ingenio et consilio Acharnenses adduxit ut lapides abicerent, gladio vaginae reddito hos magno timore liberat. Cordacem ducens sese confert chorus ad thymelam[2]). Ita quam parodi initio implicari vidimus actio ad certum finem perducta est.

Pacis parodo exeunte (v. 519) quod tamdiu exspectabat Trygaeus tandem bene evenit. Pax enim dea ex antro unitis viribus sublata est. Itaque audimus Trygaeum inde a v. 520 summo gaudio inflammatum deam ipsam eiusque comites magnis laudibus celebrantem[3]). In Lysistratae parodo senum ac mulierum animi magis magisque iracundia vel maxima exarserunt, cum subito unus ex decemviris, quibus mulierum seditio nuntiata erat, quasi deus ex machina cum Scythis apparet, ut illas propter tumultum prehendat[4]). In Ecclesiazusarum priore parodo quam evidentissime efficitur ex verborum tenoris com-

---

[1]) *Nesemann*, De episodiis Aristophaneis. Berol. 1862 p. 11. cf. *Agthe* p. 158, *Zielinski* p. 145 sqq.

[2]) *Muhl*, Symbolae ad rem scaenicam Acharnensium Aviumque Aristophanis fabularum p. 25. *A. Müller* ed. ad v. 336 p. 46: ‚In Acharnensibus igitur quum sibi respondeant vv. 284—301 et vv. 335—346, versum autem 346 Dicaeopolidis verba excipiant trimetro iambico scripta, ad illum usque versum parodus pertinet; id quod ipsa poetae verba liquide testantur'.

[3]) *Zielinski* p. 137 sqq.

[4]) *Zielinski* p. 140 sqq.

mutatione, quippe quae chori recessu non manifestior esse poterat, ubi sit parodi finis. Postquam versu 310 ut in contionem proficiscatur chorus orchestram reliquit, inde a sequenti versu quam Blepyrus, Praxagorae coniux, uxorem suam valde desideret poeta ridiculosissime describit. Hoc igitur loco novus actus, qui vocatur nostra aetate, incipit. Similiter res se habet in altera huius fabulae parodo, cuius post extremum versum Blepyrus e domo rursus egressus, ubi noctem degerit ex improviso uxorem interrogat. Qua a fabula haud multum discrepat Plutus. Nam ubi primum Cario et chorus versu 321 canere destiterunt, versu 322 e domo prodiens populares laeto animo salutat petitque ut ‚secum dei servatores fiant' (v. 327).

Restant eae fabulae, quarum parodum agon sequitur. Facile intellegitur his in fabulis, quarum actio in parodo praeparata in agone progreditur, artissimo vinculo actiones inter sese cohaerere ita ut quae in ceteris fabulis inveniebantur incisiones hic paene omnino desint.

Maxime quidem dilucidus est transitus in Vespis, ubi Philocleonis canticum inter parodum et agonem interpositum est. Nam priusquam agon ipse initium capiat, ille ex fenestra obliqua sodalium auxilium invocat. Inde autem ab hoc cantico, quod agonis subsequentis quasi prooemium est, novam actionem incohari etiam *C. Agthe* recte contendit[1]).

---

[1]) cf. *Agthe* p. 118: ‚der verus episodii tenor' — explicat vir doctus — ‚fängt unzweifelhaft bei V. 317 an, wo Philocleon plötzlich aus einem Loche guckt, den Chor mit *φίλοι* anruft und ihm jämmerliche Jeremiaden über seine Gefangenschaft zu hören giebt. Hier beginnt das Episodion (!), weil hier die Handlung wieder aufgenommen und fortgesetzt worden: wie kann dasselbe

Accedamus ad Aves. Epops postquam persuasit avibus ut Pisthetaerum et Euelpiden audirent (v. 434), etiam hos adhortatur (v. 435 sqq.) ut arma deponant. Incohata igitur actio finita est ac nova incohatur[1]). Tandem videmus actionem cum chori impetu et iracundia magis magisque implicaretur quodammodo esse solutam. Nec sine iure sperare possumus utramque partem brevi pacturam esse. In Equitibus, qua sola in fabula parodum agon ilico subsequitur, eadem actio atque in parodo procedit. Paphlagonis enim et Allantopolae, certamen magis magisque gliscit, cum subito chorus (v. 304) diverbio interrupto Paphlagonem gravibus verbis perstringit, deinde adversarium eius excitat ne illius audaciae impudentiaequae cedat.

---

deutlicher angezeigt sein! wie hat man dasselbe schon früher ansetzen können! Noch unbegreiflicher ist freilich, wie man darauf hat verfallen können, den Anfang desselben noch weiter hinauszuschieben; die eben begonnene Szene zwischen Philocleon und dem Chor lässt sich doch z. B. schwerlich, wie *Nesemann* will, schon bei V. 336 unterbrechen. Wir würden dann auch weiterhin in Verlegenheit kommen, wo wir passend die Parodos schliessen sollten'.

[1]) Qua de re etiam *Kockius* similiter videtur iudicasse in editionis prolegomenis p. 25.

Caput II.

De compositione parodi.

Quoniam altero in capite parodi fines descripsimus, nunc inquiramus qualis sit parodi compositio; et rem sic instituamus ut primum disseramus de metro, deinde de personis, postremo de verborum tenore.

§ 1.

De metro.

Ac primum quidem pertractemus eas fabulas, in quibus inde ab parodi initio inveniuntur tetrametri trochaici (Acharnenses Equites Pax Aves).

Acharnensium priorem parodi partem usque ad versum 240 pertinere manifesto elucet e metrica structura. Nam constant versus 204—207, 219—222, 234—236, 238—240 ex tetrametris trochaicis catalecticis, versus 210—217, 225—232 e pedibus creticis. Accuratissime igitur respondent versus 219—222 versibus 204—207 versus 225—232 versibus 210—217. Postremo totum hoc systema excipiunt sex tetrametri trochaici (vv. 234—240) semel tantum Dicaeopolidis (v. 237) verbis interrupti. Sequitur a versu 241 Dicaeopolidis libatio. Metrum est systema iambicum. Versu 280 denique metrum trochaeo-creticum prioris partis proprium denuo exsistit. Versuum 280—283 duo priores sunt dimetri trochaici, duo posteriores dimetri cretici. Proximam partem versus 284—301 complecti facile intellegimus. Nam cum Dicaeopolis tetrametris trochaicis utatur, chorus uno versu 285, quae est pentapodia anapaestica, excepto tetrametros creticos exhibet. Deinde versus 302—334 sunt tetra-

metri trochaici. Versus 335—346 cum versibus 284—301 vehementer congruunt.

Simplicissimam structuram metricam praebent sine dubio Equites. Inde enim a versu 242—283 inveniuntur tetrametri trochaici catalectici, qui versu 284 transeunt in dimetros trochaicos.

In Pacis parodo prior pars versus 299—345 complectitur. Versus enim 299—336 sunt tetrametri trochaici catalectici; finis huius partis est parvum Trygaei canticum trochaicum, cuius duo priores versus et ipsi tetrametri sunt. Incipit altera pars a chori cantico, quod e tetrametris trochaicis ac pedibus creticis compositum est (vv. 346—360). Inde a versu 361 ad versum 382 inter sese colloquuntur Trygaeus et Mercurius trimetris iambicis. Subito versu 383 mutantur trimetri iambici in tetrametros trochaicos. — Versus 385—399 plane respondent versibus 346—360 versu quidem 390 excepto[1]; versus 400—425 rursus sunt trimetri iambici. Ex improviso vertuntur versu 426 iterum trimetri iambici in tetrametros[2] trochaicos. Inde a versu 431 initium capit libatio, cuius metrum est trimeter iambicus. Incisionem aliquanti momenti versu 459 exstare perspicue metri mutatione

---

[1]) Ad versum 390 adnotant *Dindorf* haec: ‚Haec supplementa sunt excogitata a grammatico, quum verba poetae excidissent quae quattuor creticorum mensuram explevisse ex stropha intellegitur'. *Meineke:* ‚Locus malam grammaticorum sedulitatem expertus'.

[2]) De his tetrametris *Zielinski* commentationis suae pag. 138 explicat haec: ‚Die Tetrameter, die einem Katakeleusmos täuschend ähnlich sehen, lassen uns ein Epirrhema erwarten; es kommt aber bloss die Ode (vv. 385—399), die mit der Ode der Parodos antistrophisch zusammenhängt, ohne doch die Antode zu bilden'.

significatur. Cum vero versus 464—466 ac 469—472 facile cognoscamus anapaesticos esse, de compositione metrica versuum 459—463, 467 et 468 maximo in dubio versantur viri docti[1]). Mihi quidem versibus 459—463 et 467—468 nihil aliud contineri videtur nisi exclamationes, quibus ex sermone vulgari depromptis certa mensura metrica omnino deest ut *ἰοῦ, ἰοῦ — αἰβοῖ — ὢ ὢ — τί φῄς — φεῦ — εἶεν — αἶ αἶ*. Quod quasi amoebaeum excipiunt trimetri iambici inde a versu 473. Versus 486—499 versibus 459—472 respondere iam *Bergkius* post *Dindorfium* indicavit. Utrumque canticum subsequuntur trimetri iambici usque ad versum 507. Huius partis exitum efficiunt quattuor tetrametri iambici (vv. 508—511) atque ad extremum systema iambicum (vv. 512—519), cuius prior versus dipodia anapaestica est.

Quod vero Avium parodum huic ordini attribuo, id fortasse tibi scrupulum excitabit, praesertim cum in altero capite parodum iam a versu 209 incipere contenderim. Dilucide autem ex versu 207 sq. (*ἐς τὴν λόχμην ἔσβαινε κἀνέγειρε τὴν ἀηδόνα*) apparet Epopem canticum in frutecto i. e. extra scaenam pronuntiare. Quam ob rem Euelpides et Pisthetaerus dum inter sese soli sermocinantur, trimetris iambicis utuntur; sed ubi Epops in scaenam rediit, ilico etiam tetrametros adhibent. Idcirco hoc Epopis carmen ut ita dicam praeludium verae parodi appellare liceat. Cum prius Epopis canticum (vv. 209—221) systema sit anapaesti-

1) *Westphal* in arte metrica (ed. princ.) p. 131 versus 467—468 dimetris creticis catalecticis ac proceleusmaticis, qui hoc loco pro anapaestis positi sint, celere laboris initium expressum esse putat (ed. II vol. II p. 446; ed. III vol. II p. 173); contra *Richter* in prolegomenis editionis (p. 53) iambos intellegi mavult.

cum, alterum carmen compositum est ex variis metris; quae accuratius inlustrare supervacaneum videtur esse. Utrique Epopis monodiae succedunt quaterni trimetri iambici. Tum demum exsistunt inde a versu 268 tetrametri trochaici catalectici qui pertinent usque ad versum 326 [1]). In versibus 327—335 inest prius chori canticum, quod iambicis vocibus ἔα ἔα (v. 327) omissis usque ad versum 335 ex pedibus paeonicis constat. Versus 336—342 sunt tetrametri trochaici catalectici. Sequens chori canticum (vv. 343—351) cum versibus 327—335 optime concinit. Iterum sequuntur tetrametri trochaici catalectici usque ad versum 386, cum inde a versu 387—399 pro tetrametris dimetri trochaici positi sint. — Vix videmus versibus 400—405 systema anapaesticum exortum, cum a versu 406 compositio iambica incipit. Quam interrumpit (vv. 410—415) systema creticum, cuius versus 410 et 413 anacrusin exhibent, et (vv. 427—430) systema dochmiacum.

Nunc vocamur ad Vesparum Lysistratae Ecclesiazusarum Pluti parodos, quarum principio exstant tetrametri iambici.

In Vesparum parodo sunt versus 230—247 tetrametri iambici catalectici, qui fiunt a versu 248—272 dicatalecti. Occurrit nobis versibus 273—281 systema ex uno tetrametro ionico a minore acatalecto anapaesto (aut ionico a minore catalectico) praemisso, e dactylo-epitritis, postremo e duobus dimetris ionicis a minore catalecticis compositum, cui accurate respondent

---

[1]) Solus quidem versus 319 (*ποῦ; πᾷ; πῶς φῄς;*) dissidet ab hac structura metrica. Sed tales exclamationes extra compositionem metricam positae apud Aristophanem saepius inveniuntur. cf. *Richter* ed. Vesp. ad v. 241.

versus 282—290[1]). Finem parodi efficiunt ionici a minore (vv. 291—315). Cur autem respondere velit *Meineke* (ed. p. 174) versus 291—302 versibus 303—315 aut *Arnoldt* (p. 21) et *Zielinski* (p. 135) versus 291—303 versibus 304—316 minime intellegitur.

Lysistratae parodi priori cantico antecedunt duo tetrametri iambici catalectici. Canticum ipsum compositum est ex duobus tetrametris iambicis dicatalectis, quattuor dimetris iambicis acatalectis, una tripodia trochaica acatalecta. Quam structuram metricam excipiunt quinque tetrametri iambici catalectici. Inde a versu 271—285 redeunt et cantici illius schema metricum et quinque tetrametri iambici catalectici[2]). Versus 286—295 cum versibus 296—305 prorsus conspirant. Utriusque enim cantici metrum commixtum est ex iambis trochaeisque. Denique versibus 306—318 denuo exsistunt tetrametri iambici catalectici.

Mulierum parodo ineunte legimus duos tetrametros choriambicos, quibus annexa sunt duo cantica choriambico-logaoedica (vv. 321—334 = 335—349). Inde a versu 350 reperiuntur tetrametri iambici catalectici, qui versu 382 in dimetros mutantur; postremus parodi versus mirum in modum est iterum tetrameter iambicus.

Ecclesiazusarum parodus incipit a quattuor tetrametris iambicis catalecticis (vv. 285—288); quos

---

[1]) *Richter* ed. Vesp. ad. v. 273. — Versu 277 mihi probatur *Richteri* coniectura *ἐπεφλεγμένον* pro *εἶτ' ἐφλέγμηνεν* quae verba turbant concinnitatem.

[2]) Versus 264 et 279 aperte corrupti sunt. Itaque ut responsionem restitueret *Meineke* coniecit versu 264 *κλῄθροισί μου* et versu 279 *ἀπαράτιλτος ῥυπῶν*. —

subsequuntur duo cantica logaoedica, quae secum plane congruunt.

Liceat hoc loco alteram quoque huius fabulae parodum tractare. Cuius prooemium quasi est systema iambicum (vv. 478—482 duo monometri et duo tetrametri iambici catalectici). Comprehendunt versus 483—488 canticum iambicum, cui sese applicant quattuor tetrametri iambici catalectici. Versibus 483—488 respondent optime versus 493—499, tetrametris illis simul quattuor tetrametri iambici (vv. 500—503) oppositi sunt. Versus 504—513 sunt trimetri iambici; extremi autem parodi versus 514—519 transeunt in tetrametros anapaesticos acatalectos.

Pluti prior parodi pars pertinet inde a versu 253 ad v. 289; versus sunt tetrametri iambici catalectici. Canticorum quae sequuntur metrum est iambicum, sed ita ut semper duo carmina concinant. Aperte post versum 321 quod Carionis carmini respondet chori canticum excidit.

Restant Nubes et Ranae, quarum fabularum parodus initium capit a tetrametris anapaesticis catalecticis.

Priorem Nubium parodi partem efficiunt versus 263—313. Cum utrumque canticum (vv. 275—290 = 299—313) metro utatur dactylico, versus 263—274 ac 291—298 sunt tetrametri anapaestici catalectici. Quibus ex tetrametris constant etiam sequentes versus 314—438, quo a versu tetrametri in systema convertuntur anapaesticum. Extrema in parodi parte videmus primum trochaeos una cum pentopodia dactylica (v. 459) deinde a versu 461 dactyloepitritos esse exhibitos[1]). Versus 476 sq. sunt tetrametri anapaestici.

[1]) cf. *Rossbach* ed. I p. 454 sq., p. 445 sq. (ed. II vol. II p. 690, cf. p. 683; ed. III vol. III 2 p. 488, cf. p. 479), *Kock* ed. p. 210.

In R a n a r u m parodo eadem fere res singularis conspicitur atque in Nubibus et Avibus; nam ut infra demonstrabimus, etiam hac in fabula prima chori cantica extra parodum orchestrae pronuntiantur. Idcirco quoniam chori ingressio vel parodus vere nondum incepit, Dionysus et Xanthias porro trimetris iambicis inter sese loquuntur (vv. 318—322, 337—339). Metrum vero canticorum, quae secum prorsus congruunt, praecipue compositum est ex ionicis a minore, quibus bacchei et unus creticus admixti sunt. Demum inde a versu 354 inveniuntur tetrametri anapaestici catalectici; quos excipiunt versu 372 duo anapaestico-spondiaca cantica quae inter se plane respondent (vv. 372—377 = 377a—381). In eis quae succedunt animadvertimus semper aliquot tetrametros carminibus praeire, ita ut duos tetrametros anapaesticos catalecticos (vv. 382—383) duo systemata iambica (vv. 384—388 = vv. 389—393), duos tetrametros iambicos dicatalectos tria systemata iambica (397—403 = 404—408 = 409—413 cf. *Kock* ed. p. 94 sq.) subsequantur. Versus 414—415 sunt trimetri iambici. Versuum 416—439 e pedibus iambicis compositorum trini versus inter sese cohaerent (vv. 416—418 = vv. 419—421 = vv. 422—424 = vv. 425—427 = vv. 428—430 = vv. 431—433 = vv. 434—436 = vv. 437—439). Versu 440 voce χωρεῖτε praecedente denuo nobis occurrunt quattuor tetrametri iambici dicatalecti, quibus continuantur duo systemata e duobus dimetris iambicis (acatalecto et catalectico), tribus glyconeis cum anacrusi, uno pherecrateo cum anacrusi (vv. 448—453 = vv. 454—459).

Vidimus igitur omnibus parodis ineuntibus tetrametros exsistere eosque metris melicis immixtis per

totam parodum praevalere. Quod sane refellere videntur loci quidam, de quibus nunc paucis dicendum est. Primum enim offendunt nos Acharnensium versus 241—279 ac Pacis versus 431—458, qui maxima ex parte sunt trimetri iambici. Illic pompa, hic libatio efficitur. Sed quoniam aperte utraque actio cum parodi tenore ipso non coniuncta est, immo vero per breve quidem temporis momentum actionem quominus progrediatur retinet, iam ex re ipsa conici potest cur poëta his locis tetrametris usus non sit. Nec difficilius Ranarum trimetri iambici (vv. 414. 415) ex eo explicantur quod hi versus, quos Dionysus et Xanthias secum soli loquuntur, minime spectant ad parodi tenorem.

Aliter quidem res se habet in Pace, ubi praeter locum illum maxima parodi pars ex trimetris iambicis constat; hanc difficultatem tertia huius capitis paragrapho removebo.

Restant in Ecclesiazusis versus 504 sqq. Nam cur hic poëta Praxagoram (vv. 504—513) trimetris iambicis uti voluerit, deinde subito a versu 514 coryphaeum et Praxagoram, quamquam totius huius parodi metrica compositio est iambica, anapaesticis tetrametris equidem non intellego[1]).

Praeterea nos non effugit parodos structura metrica plerumque dilabi in quasdam partes, quae non raro accuratam responsionem ostendunt. Sed priusquam ex his aliquid certi enucleare conemur, facere non possumus quin quae in dubio versantur quaestiones ad exitum adducamus.

---

[1]) cf. *Zielinski* p. 157: ‚Auffallend an diesem Epirrhemation ist auch, dass es aus anapästischen Tetrametern besteht, während das embaterische Versmass der ganzen Parodos iambisch ist.'

§ 2.

De personis.

Quaeritur iam num ex personarum ingressu exituque colligi possit quod expediat quaestionem nostram.

Quarum fabularum chorus parodo ineunte orchestram intrat, sunt Acharnenses Vespae Lysistrata Ecclesiazusae. Omnibus hisce in fabulis parodi initio scaenam prorsus vacuam esse videmus. Cur vero etiam Vespas hic attulerim iam supra dixi.

Acharnensium versibus 204—236 chorum solum verba facientem audimus. Versu 237 Dicaeopolis una cum coniuge filiaque et servo e domo egreditur, cum chorus sese abdat. Demum inde a versu 280 chorus denuo interest actioni.

Vesparum fabula non ostendit magnam personarum mutationem. Nam cum versus 230—247 chori orationem contineant, inde a versu 248 puerorum chorus alloquitur senes. Sed iam versu 258 illi deserunt patres ac primum versu 291 reveniunt.

In Lysistrata ad senum chorum mulierum (v. 319) accedit.

Ecclesiazusarum priorem parodum efficit solus mulierum chorus; in altera parodo Praxagora versu 504 scaenam init.

Hoc in numero ponendae sunt mea quidem sententia etiam Ranae. Cuius fabulae parodum a versu 353 incipere supra diximus. Usque ad versum 430 duobus tantum trimetris, quos pronuntiant Dionysus et Xanthias, intercalatis chorus inter sese colloquitur. Versibus autem 431—439 Dionysus et Xanthias per breve temporis spatium diverbii sunt participes.

Ceterarum fabularum proprium est parodi initium recitari ab histrionibus, ad quos non multo post chorus adit.

In Equitibus postquam servus A verba fecit (vv. 242—246), chorus versus 247—254 recitat. Inde a versu 255 exoritur diverbium inter chorum ac Paphlagonem, contra a versu 278 usque ad finem Paphlago et Allantopoles (versibus autem 282 et 283 quibus servus A illos interrumpit omissis) soli verbis utuntur.

Nubium condicio peculiaris est. Nam Socratis et Strepsiadis sermones medios intercipiunt ex improviso utraque Nubium cantica, quamquam deae ipsae tum minime conspicuae sunt. Primum a versu 320 paulatim orchestram ingrediuntur.

Etiam Aves praebent singularem parodi speciem. Neque enim hac in parodo chorus orchestram intrat universus, sed singuli choreutae deinceps, dum Pisthetaerus Euelpides Epops sermonem conferunt; versu 310 totus chorus orchestram occupavit. Brevi quod sequitur diverbio inter chorum et Epopem versu 326 finito sese applicant duo chori cantica quorum utrumque diverbia inter Pisthetaerum et Euelpidem habita excipiunt. Inde a versu 364 initium faciunt chorus et Epops diverbii, cuius exitus est versus 385. Parodo exeunte reperiuntur amoebaea primum inter Pisthetaerum et Euelpidem (vv. 386—399), deinde inter chorum et Epopem (vv. 400—434).

In Pace postquam versu 301 ad Trygaeum accessit chorus, non multo post inter chorum et Trygaeum diverbium exoritur. Succedunt duo chori cantica quorum utrumque subsequitur diverbium Trygaei et Mercurii qui versu 362 scaenam ingressus est (vv. 346—425). Libatione confecta (v. 458) Mercurius chorus Trygaeus

cantant duo cantica, quorum utrique continuantur diverbia inter Mercurium et Trygaeum (vv. 459—507). Versibus 508—511 intersunt chorus Mercurius Trygaeus; canticum autem (vv. 512—519) solus chorus pronuntiat.

In parodo igitur ipsa perraro novas personas scaenam inire facile cognoscimus. Qua a parodorum ratione solae Acharnensium (Dicaeopolis) Pacis (Mercurius) Ecclesiazusarum altera (Praxagora) discedunt. Attamen in duabus prioribus parodis sunt eae personae quae paulo ante quam parodus incepit demum de scaena recesserunt.

§ 3.

De verborum tenore.

Restat ut paulo accuratius disseramus qualis sit parodi verborum tenor; qua cum quaestione sane necessario ea artissime cohaeret, quae ratio verborum tenori intercedat cum iis quae de re metrica et personarum mutatione supra exposuimus. Atque ita quidem rem instituamus ut primum in Acharnensium Equitum Vesparum Avium Lysistratae Ranarum Ecclesiazusarum Pluti parodos inquiramus, deinde Nubium Pacis, quas fabulas a poëta rescriptas retractatasque quaestionibus nostris multas et magnas difficultates praebere inter omnes constat.

Sed priusquam mediam in rem intremus, non alienum videtur esse breviter attingere quomodo chorum sive canticorum sive diverbiorum participem esse putemus. Nam quamquam in omnibus codicibus[1]) et

[1]) Invenitur sane in codicibus atque in scholiis Aristophaneis non raro vox ἡμιχόριον. cf. *Muff* p. 1 sqq., *Arnoldt* p. 5 sqq. et p. 180 sq.

in omnibus editionibus unam tantum vocem chori adscriptam videmus, tamen nemo credit cantica omnia et diverbia a toto choro pronuntiata esse. Ac primum quidem quaecunque sunt chori plane discernuntur in ea quae fando vel recitando (tetrametri) et quae canendo (cantica) pronuntiantur. Dictos vero vel recitatos versus ab una quadam persona, cantica autem ab compluribus (choro) pronuntiata esse per se liquet[1]). Ex re ipsa efficitur illos tetrametros attribuendos esse coryphaeo, haec carmina choro[2]). Huc accedit ut, quod in codicibus atque in scholiis ad quosdam versus adnotatum invenimus, chorus in hemichoros nonnumquam divisus sit. Itaque exoritur quaestio qua ratione facta sit haec divisio. Primum vir doctus *R. Arnoldt* opusculo saepe laudato acute demonstravit comoediae chorum bipartitum esse i. e. in hemichorum dexterum et sinistrum divisum. Quam regulam optimo iure secutus est *Zielinski;* quin etiam longius progreditur. Nam epirrhematicas quoque (tetr. recit.) quas appellat *Zielinski* partes eadem ratione inter ducem dexteri hemichori aut coryphaeum atque ducem sinistri hemichori (παραστάτης cf. *A. Müller* p. 202 sqq., *Oehmichen* p. 274 sqq.) iubet distribui.

Idcirco primum in quaestionem vocemus eas fabulas, quarum in parodis chori bipartitionem certis indiciis enucleavisse nobis videmur.

Equitum parodi priorem partem continere versus 242—246, quibus ut supra commemoravimus servus A equitum auxilium implorat, haud difficile est intellectu. Neque multo post orchestram ingreditur equitum chorus

---

[1]) cf. *Muff* p. 15 sqq., *Arnoldt* p. 115 sqq., *Zielinski* p. 263.

[2]) cf. *Oehmichen* (*Iw. Müller's* Handbuch d. kl. Altertumswissensch. V 3) p. 281.

ac bipartitus utrumque orchestrae cornu ita tenet, ut Paphlago undique circumcludatur. Chorum enim divisum esse in duas partes elucet e versu 242 sq. ubi servus A utrumque hemichori ducem nominatim appellat [1]).

Postquam chorus versibus 247—254 gravissimis verbis Allantopolam admonuit ne Paphlago eum effugeret, hic undique ab inimicissimis petitus supplicat spectatorum heliastis pro salute sua versibus 255—257. Chorus autem versibus 258—265 illi acerrime opprobrio facit quod in munere nil aliud egerit nisi ut quam maximas divitias sibi pararet. Fugiens in adversum orchestrae cornu eam partem ab altero hemichoro occupatam esse aspicit. Frustra conatur (vv. 266—268) hostium animos mendaciis vel audacissimis cohibere simulans sese illis semper fuisse amicissimum. Undique repulsus tandem intellegit sibi certamen cum Allantopola non vitari posse.

Iam vero opus erit quaeramus qua ratione chorus particeps sit huius parodi. Nam quamvis enixe permulti viri docti huic quaestioni operam dederint, tamen tantum abest ut omnes consentiant, ut paene suam quisque a ceteris alienam sententiam habeat [2]).

Sed priusquam ad rem ipsam transeamus, *Sauppii* coniecturam, quae ad textum constituendum spectat,

---

[1]) cf. schol. ad v. 242: *ἵππαρχοι δὲ ὁ Σίμων καὶ ὁ Παναίτιος* — vv. 271. 272: *ἀλλ᾽ ἐὰν ταύτῃ γε νικᾷ, ταυτηὶ πεπλήξεται — ἢν δ᾽ ὑπεκκλίνῃ γε δευρί, τὸ σκέλος κυρηβάσει* et Droysenii translationem horum versuum.

[2]) cf. *Sauppe*, Ep. crit. ad God. Hermannum p. 116 sq., *Beer*, Üb. d. Zahl der Schauspieler p. 27 sqq., *Arnoldt* p. 43 sqq., *Muff* p. 102 sqq. et p. 138, *Zielinski* p. 130 sq. et p. 353 sq., *Christ*, Abh. d. M. Ak. d. W. tom. XIV p. 215.

afferre debemus. Acute enim et subtiliter vir doctissimus enucleavit vocem καί v. 274 minime ad verborum tenorem quadrare, nisi censemus hoc loco unum versum esse elisum, ad quem illud καί referri possit. Quamquam omnes[1]) fere viri docti in his versibus continuam orationem agnoscunt, tamen videntur manifesto dilabi in duas partes. Nam si verborum tenorem introspexeris, initio versus 251 eadem fere verba redire ac versu 247 cognosces. Itaque mihi persuasum est, quod etiam cum eo quod supra attulimus optime concinit, versus 247—250 esse ducis dexteri hemichori, versus 251—254 ducis sinistri hemichori. Contra plurimi viri docti pari versuum numero fortasse adducti censent versus 247—254 respondere versibus 258—265. Quod minime verum: nam versuum numero excepto utrique parti nil commune est. Illic cohortatur chorus Allantopolam ut verberet Paphlagonem, hic chorus aut coryphaeus enumerat Paphlagonis facinora. Cui autem versus 258—265 melius attribuamus quam coryphaeo? Illius enim est singula pertractare.

In versibus sequentibus versus 271 sq. oppositos esse versui 276 sq. inde elucet quod utraque in parte eisdem locis eadem fere vocabula posita sunt. cf. ἀλλ' ἐὰν vv. 271. 276, νικᾷ v. 271, νικᾷς v. 276, ἢν δ' vv. 272. 277.

Deinde si sequimur *Sauppium* conicientem illius versus ante versum 274 deleti sensum fere eundem fuisse ac v. 269: ὡς ἀλαφών, ὡς δέ μάσθλης εἶδες οἷ ὑπέρχεται, etiam vv. 269. 270 et 274ª· 274 inter sese optime congruunt[2]). Animum quaeso intendas ad

---

[1]) Aliter sane *Arnoldt* p. 50.

[2]) cf. *Zielinski* p. 268 sq.

verba sibi opposita ut: *γέροντας ὄντας* v. 270 et *τὴν πόλιν* v. 274, *κοβαλικεύεται* v. 270 et *καταστρέφει* v. 274.

Postquam v. 269 sq. dexteri hemichori dux interrogavit sinistrum num viderit Paphlagonem fraude ac dolo senibus adulatum esse, respondet v. 274 sinistri hemichori dux hominem illum clamore semper civitatem evertisse[1]). Re ipsa poscitur ut versus quoque 269. 270 duci dexteri hemichori, versus 274ᵃ· 274 duci sinistri hemichori deferantur. Finem huius partis efficiunt sex tetrametri trochaici, bini a Paphlagone, ab Allantopola, a servo A pronuntiati, qui nos ad extremam parodi partem traducunt. Magis enim magisque animis incensis uterque adversarius inde a versu 284 dimetris trochaicis, quibus illorum invidia et odium bene exprimuntur, maledicta inter sese evomere incipit.

V e s p a r u m parodi prior pars, ut duabus paragraphis antecedentibus exposuimus, versus 230—247 complectitur. Nam cum primum choro ut quam celerrime progrediatur admonito quaeratur (vv. 233. 234) ubi sint Euergides et Chabes, versibus 235—239[2]) respondetur sane omnes adesse qui restent ex veteribus commilitonibus. Postremo versibus 240—247 chorus semel atque iterum disertis verbis ad iter accelerandum excitatur. Cui autem has singulas partes mandemus? Ex iis, quae supra diximus primum satis

---

[1]) v. 274 lego *κέκραγεν; καταστρέφει* igitur accipit notionem evertendi.

[2]) Rectissime interpretatur scholiasta v. 235 verba *πάρεσθ' ὃ δὴ λοιπόν γ' ἔτ' ἐστίν* hisce verbis: *Ὅ ἐστιν ὑπόλοιπον ἡμῶν ἥκομεν,* quod sequitur *Zielinski* p. 269 adn. 2: ‚*πάρεσθ'* bedeutet doch wohl *πάρεστι,* nicht *πάρεστε;*' false igitur vertit hunc locum Droysenius: ‚Wer sonst noch fehlt, kommt alle'.

putamus elucere utramque priorem particulam optime concinere. Tota vero versuum indole eo adducimur ut non ab dimidiis chori partibus eos pronuntiari iubeamus, sed a ducibus utriusque hemichori. Quod subtiliter enucleaverunt viri docti *Arnoldt* et *Zielinski*[1]). Mihi liceat id unum commemorare fieri non posse ut illud *σύ* v. 237 ad totum chorum pertineat. Nonne enim ineptum atque absurdum est magnam hominum multitudinem ‚noctu panariae surripere ligneum mortarium'? Idcirco poëta adhibet v. 237 numerum dualem: *περιπατοῦντε*; uterque dux meminit huius facti. Versus 240—247 recte *Zielinski* addicit coryphaeo; nam eius est denuo ac postremo ut properent et festinent sodales adhortari.

Versibus 248—258 exoritur diverbium inter chorum et pueros, qui propter tenebras lampadas secum ferunt. Neque multo post quia hi oleo prodige utuntur, ab illis depelluntur[2]). Cuius diverbii participes esse unum coryphaeum, unum puerum iam probaverunt *Muff* (p. 12) et *Zielinski* (p. 134 sqq. et p. 269)[3]). Chorus solus in orchestra remanet. Versus 259—272 non ab eadem persona dici posse difficile non est intellectu. Nam cum versibus 259—265 chorus credat brevi magnum imbrem casurum esse, ex improviso inde a versu 266 quaestione orta ubi sit Philocleon sodales appellantur ut amicum cantu e domo eliciant. Itaque optimo iure proponit *Zielinski* illos versus dexteri hemichori, hos versus sinistri hemichori duci

---

1) *Arnoldt* p. 7 sqq., *Zielinski* p. 269 sqq.

2) cf. *Zielinski* p. 135.

3) cf. schol. *παῖς δέ τις προηγορούμενος μετὰ λύχνου προεωρακὼς πηλόν.*

attribuendos esse. Quam totam partem neque toti choro neque hemichoris adscribi posse omnes fere recentiores viri docti consentiunt[1]).

Ilico sequuntur duo cantica. Chorum bipartitum esse concedere non dubitabimus, praesertim si in utriusque cantici verborum sensum accuratius inquisiverimus. Priori enim hemichoro varias quibus retineri possit Philocleon causas excogitanti respondet alter hemichorus fortasse senem propter hominem istum fraudulentum, qui heri sibi elapsus sit, ira oppressum febri correptum esse. Ac simul ad extremum alloquitur Philocleonem ipsum admonens ne diutius ullam faciat moram prodeundi. Utroque cantico exeunte hemichori pueros revocant. Quae cum ita sint, versus 273—281 dextero hemichoro, versus 282—290 sinistro hemichoro adiudicabimus[2]).

Finis parodi nostrae constat ex amoebaeo inter coryphaeum et puerum. Versu enim 291 chori precibus commoti pueri redeunt. Callide vero occasione utuntur oblata. Sed quamvis patribus supplicent ut sese ficis donent, tamen preces a senibus repudiantur.

Zielinski hanc parodum usque ad versum 525 perduxit. Quoniam in altero huius commentationis capite finem eius versu 315 posuimus, nunc liceat paucis explicare versum 334 sqq. cum agone, qui *Zielinskii* sententia a versu 526 initium capit, artissimo vinculo cohaerere. Ac primum huius partis propria est eadem partitio (i. e. ea quam *Zielinski* ipse repperit) atque

---

[1]) cf. *Muff* p. 11: ‚Endlich ist jede Rolle dem Koryphäos zu überweisen, die sich dadurch als Nichtlied zu erkennen giebt, dass sie erst den Beginn eines Liedes in Aussicht stellt (*ἀλλά μοι δοκεῖ στάντας ἐνθάδ᾽ ὦνδρες ᾄδοντας αὐτὸν ἐκκαλεῖν*).

[2]) cf. *Zielinski* p. 135.

agonis, deinde manent eaedem personae; postremo hisce ipsis versibus agonis ipsius actio praeparatur et instituitur, ita ut ego quidem hanc partem quasi proagonem vocem. Aliis quibusdam in fabulis ipse *Zielinski* (p. 119) proagonem agnoscit. Ac si ea quae ille de proagone disseruit nostro cum loco comparamus, mirum quantum videntur eius verba ad hunc proagonem quadrare. Ille enim (p. 119) explicat haec: ‚Die Aufgabe des Proagon ist dreifach. Erstens sollten die Gegner, sofern sie den Zuschauern unbekannt waren, denselben vorgestellt werden; wo dieses nicht zutraf, fiel dieser Teil natürlich aus (id quod hic usu venit). Zweitens sollte die Kampfeswut der Gegner darin austoben und die Lust des grossen Publikums an Zank und Lärm befriedigt werden, damit der Streit im Agon selbst desto geordneter geführt werden konnte. Endlich sollte der Gegenstand und die Bedingungen des Streites festgestellt werden (cf. v. 523: *ἢν γὰρ ἡττηθῶ λέγων σου, περιπεσοῦμαι τῷ ξίφει*). Dazu gesellte sich je nach den Umständen die Wahl des Richters (cf. v. 521: *καὶ τούτοισίγ᾽ ἐπιτρέψαι θέλω*) und andere mehr oder minder feierliche Eingangsceremonien.'

Ad extremum si placet hunc quem dicimus proagonem ex *Zielinskii* schemate brevissime pertractemus et singulis addamus eas notiones quas proposuit *Zielinski* sollemnes.

Excepto uno anticataceleusmo[1]) (v. 486) ubique in-

[1]) *Κατακελευσμόν* et *ἀντικατακελευσμόν* intellegi vult *Zielinski* singulos illos tetrametros qui agonum et odis et antodis exeuntibus semper fere inveniuntur. Iis enim versibus excitant hemichorum duces sive alterumutrum sive utrumque adversarium ad fortiter certandum cf. *Zielinski* p. 120 sq.

venitur horum versuum propria vox ἀλλά cf. vv. 346. 379. 428.

In Avibus Epopis cantico finito ubi inde a versu 267 priores aves coeperunt rarae advolare, primum conferunt Pisthetaerus Euelpides Epops sermonem, quo hic illos de singularum avium nominibus certiores facit. Alterius partis quae pertinet ad versum 363 prooemium est diverbium inter chorum et Epopem. Choro enim, postquam interea orchestram ingressus interrogavit quis et cur sese convocaverit, Epops respondet Pisthetaerum et Euelpidem sapientissimos viros advenisse regnum Avium inter sese communicaturos. Ex re ipsa efficitur unam tantum personam i. e. coryphaeum cum histrionibus colloqui posse [1]. Vehementissime indignatus est chorus de Epopis proditione; quod cognoscimus e versibus 327—335. Altero autem cantico (vv. 343—351) ille in Pisthetaerum et Euelpidem invehitur. Unde certe concludi potest chorum bipartitum esse i. e. dexterum hemichorum odam, sinistrum antodam cantare. Versus autem 336—338 et 352—353, quibus ut utrumque advenam perdat et deleat chorus evocatur, non ab eodem choro dici iam *Hornung* (p. 11) *Muff* (p. 17) *Arnoldt* (p. 71) rectissime ostenderunt. Si igitur odam dexterum hemichorum, antodam sinistrum hemichorum cantare iubemus, ea ipsa re versum 336 sqq. duci dexteri hemichori, versum 352 sq. sinistri cogimur addicere.

Versibus 338—342 Euelpides acerbis verbis amico totam qua obruti sint calamitatem crimini dat, deinde (vv. 354—363) Pisthetaero auctore arma ridiculosissima sibi induunt. Impetum parantibus (v. 364 sqq.) Epops

[1]) *Zielinski* p. 140.

se obicit efficitque ut utrique potestas fiat sui defendendi. Is, qui cum Epope agit, secundum rei naturam nemo potest alius esse nisi coryphaeus[1]).

In parodi fine exstant duo amoebaea, quorum prius a Pisthetaero et Euelpide (vv. 386—399), alterum a choro et Epope (vv. 400—434) canuntur. Quoniam igitur aves indutias aspernari non videntur, Pisthetaerus amicum adhortatur ut ollam et catinos humi deponat[2]). Similiter etiam chorus qui iam scaenam ascensurus erat, sese in orchestram iubetur referre (v. 400) atque iram deponere quasi ut arma (v. 402) cf. v. 386 sq. Recte viri docti *Muff* (p. 9. 65) et *Arnoldt* (p. 74) censent hos versus solius coryphaei esse. Versu 406 coryphaeus alloquitur Epopem. Consentaneum est coryphaeum solum quod sequitur amoebaei (usque ad v. 431) participem esse. Cui quaerenti Epops omnia singula accuratissime explicat, ita ut totus chorus vv. 432—434 sese summo desiderio illos audiendi flagrare profiteatur.

Singuli versus artificiose inter sese ita oppositi sunt ut versus 406—407 cum versibus 408—409, 410—412 cum 413—415, 416 cum 417, 418—421 cum 422—426, 427—428[3]) cum 429—431 concinant.

L y s i s t r a t a e parodum tres in partes discedere facile cognoscimus, quarum prior manifesto pertinet usque ad versum 318, ubi mulierum chorus orchestram

---

[1]) cf. *Muff* p. 7.

[2]) Cur *Zielinski* p. 188 v. 400 sqq. dirimat a parodo equidem non satis intellego. Nam hos versus cum eis quae praecedunt artissimo coniunctos esse vinculo ex eis quae attulimus putamus plane colligi.

[3]) Post versum 428 trimetrum iambicum excidisse, cui respondet v. 431, coniecit *Meineke*. cf. *Kock* ed. ad v. 428.

ingreditur. Antecedunt duo tetrametri iambici quibus unus quidam ex choro impellitur ut celerius progrediatur. Cantico (vv. 256—265) senum chorum indignari videmus mulierum audaciam. Idcirco versibus 266—270 denuo tetrametris iambicis sodales admonentur ut mulieres quam celerrime ferro ignique opprimant. Magna voce chorus iactat etiam Cleomenem urbis arcem occupare ausum inde sua ipsorum virtute depulsum esse. Itaque ille certissime sperat (vv. 281—285) sese etiam a mulieribus brevi tempore superiorem discessurum esse. Quibus de singulis partibus satis constat inter viros doctos, qui novissimis temporibus hanc rem in quaestionem vocaverunt, tetrametros, quod optime concinit cum nostra ratione, non a choro, sed ab una persona dici posse [1]).

Recte autem *Zielinskium* puto longius progressum esse. Neque enim est obscurum quae cantica continent tetrametris illis produci. Versus 256—270 multo magis spectant ad rem ipsam, cum in sequentibus versibus maxime agatur de Cleomene depulso. Id quod bene significatur numero plurali in priore parte adhibito ut *ἐβόσκομεν, σπεύσωμεν, ἐμπρήσωμεν*, altera in parte numero singulari ut: *ἐμοῦ, ἐμοί, ἐγώ, ἐπολιόρκησα, ἐγὼ σχήσω.* Nonne igitur poëta ipse indicare videtur velle versus 256—265 cum versibus 266—270, versus 271—280 cum versibus 281—285 copulatos et conexos esse? Itaque persuasum habeo non solum cantica inter utrumque hemichorum, sed etiam tetrametros inter utrumque chori ducem distribuenda esse. Pronuntiat enim versus 256—265 dexter

---

[1]) cf. *Muff* p. 41, *Arnoldt* p. 80 sqq., *Droysen* in versione germanica.

hemichorus, 266—270 dexteri hemichori dux, versus 271—280 sinister hemichorus, 281—285 sinistri hemichori dux.

Praebent versus 286—295 et 296—305 accuratam responsionem. Nam cum in oda chorus moleste ferat quod graviter sint lignis onerati umeri, antoda audimus senes queri quod fumo ἐκ τῆς χύτρας excrucientur. Chorum igitur hoc loco bipartitum esse nemo negare potest. Ille enim hemichorus secum ducit ligna, hic in quibus anthraces insunt ollas.

Cuius prioris partis finem efficiunt versus 306—318 tetrametri. Divisi sunt plane in duas particulas. Nam cum primum ab altera parte (versibus 307—311) rogetur num lignis depositis ad impetum ipsum transituri sint, hisce verbis θώμεσθα δὴ τὸ πορτίον, φεῦ τοῦ καπνοῦ βαβαιάξ illorum condicionem libenter accipiunt. Sine dubio hi tetrametri sunt unius personae[1]). Quoniam vero versus 307—311 evidenter spectant ad versus 286—295, versus autem 312—316 ad versus 296—305, nil obstat quominus illos duci dexteri hemichori, hos sinistri addicamus. Sane quidem hunc concentum turbat versus 306, nisi forte post versum 311 unum versum deletum esse volumus. Neque inepte explicat de hoc versu *Zielinski* p. 141 adn. 2 haec: ‚Wir gehen wohl am sichersten, wenn wir einfach die Thatsachen solcher wilder Ranken konstatieren', praesertim cum ducum tetrametri in eis quae praecedunt etiam quini sint cf. v. 266 sqq. v. 281 sqq. Ad extremum coryphaeus versibus 317 et 318 a diis victoriam precatur. Falso videtur *Zielinski* p. 141

---

[1]) cf. *Muff* p. 9. 41, 157.

et 361 hanc partem in versus 307—312 ac 313—318 dividere[1]).

Apparet (v. 319) grex feminarum amicis quae in arce ab hostibus communibus obsidentur auxilium latura. Neque iniuria hanc parodi partem *Zielinski* alterius ordinis parodum appellavit (p. 142). Quem ad locum adnotat scholiasta haec: *νῦν ἐστὶν ἡμιχόριον τὸ λέγον ἐκ γυναικῶν εἰσερχομένων ἄνωθεν, τὸ δὲ ἄλλο ἡμιχόριον ἐξ ἀνδρῶν κάτωθεν ἐπερχόμενον ταῖς ἐν τῇ ἀκροπόλει εἰς πολιορκίαν.* Quibus verbis quamvis *Hornung* (p. 15) repugnare conetur, tamen nil certi affert quo scholiastae sententiam refutet. Virum doctum *Arnoldt*, qui (p. 83) hanc quaestionem eadem ratione atque *Hornung* interpretatur, recte revincit *Muff* (p. 157 adn. 1). Aeque in parte quae praecedit huius mulierum parodi initio et exitu bini tetrametri inveniuntur. Illic mulierum chorus ad festinandum excitatur, hic chorus alloquitur senes. Quibus versibus quasi cinguntur duo carmina quae sibi accurate respondent. Quin tetrametri a mulierum coryphaeo recitentur dubitari non potest[2]). Quod attinet ad duo carmina, aperte versu 335 verborum tenor mutatur; neque fieri potest ut utrumque canticum ab eodem toto choro cantetur. Nam versibus 321—334 chorus magno timore vexatur ne tardius amicis subveniat, versibus autem 335—349 postquam affirmavit viros ad urbem appropinquare, postremo ut Graeciam servet Minervam invocat[3]). Quin etiam *Muff* qui chorum

---

1) cf. *Arnoldt* p. 83: ‚Es unterliegt keinem Zweifel, dass die 2 Tetrameter am Anfang und am Ende der Parodos vom Chorführer gesprochen werden'.

2) cf. *Muff* p. 75, *Arnoldt* p. 83 sq.

3) cf. *Zielinski* p. 142, *Muff* p. 74 sq. 157.

bipartitum esse ubique negat, hic cogitur de ratione sua recedere haece dicens (p. 75): ‚Und will man die wichtige Wirkung dieser Szene nicht beeinträchtigen, so muss man die Verse dem Gesamtchor geben oder vielmehr unter die Halbchöre verteilen'.

Denique odam cantat dexter hemichorus, antodam sinister[1]).

Inde a versu 350 initium capit extrema parodi pars. Utriusque chori animi magis magisque inter sese ira incenduntur, dum versu 382 manus quasi conserantur. Eodem versu vertuntur tetrametri in dimetros. Pro rerum natura sine dubio uterque coryphaeus virorum et mulierum chori unus solus partes agit. — Docemur igitur hac fabula chorum non solum in duos hemichoros (virorum et mulierum), sed etiam hos hemichoros in binas partes discedere posse.

Adeamus ad R a n a s. Quoniam altero in capite huius commentationis quasi in transitu monuimus in Ranis chori cantica (vv. 324—336 et 340—353) extra parodum orchestrae pronuntiari, nunc opus est cur hoc posuerimus paulo fusius explicare et disserere.

Constat Atheniensium populum qui ad Eleusinia celebranda pompam Boedromionis XX die comitabatur, hoc in itinere carmina cantasse. Cuius generis sunt haec cantica, quae chorus mystarum extra orchestrae parodum canit. Dionysum enim et Xanthiam usque ad versum 339 mystas nondum aspexisse luculenter indicant (v. 313 sq.) Dionysi verba: *καὶ δᾴδων γέ με | αὔρα τις ε ἰ σ έ π ν ε υ σ ε μυστικωτάτη* atque Xan-

---

[1]) cf. *Arnoldt* p. 84: ‚Dagegen werden wir Recht daran thun, mit *Enger* z. V. 321 eine Teilung des Weiberhalbchors wieder in 2 Halbchöre anzunehmen'.

thiae verba (v. 338): *ὡς ἡδύ μοι προσέπνευσε χοιρείων κρεῶν.* Itaque facile intellegemus cur trimetri iambici usque ad versum 339 a Dionyso et Xanthia exhibeantur. Nonne autem ineptum et absurdum videtur esse primum chorum carmina cantasse, deinde vero sacrum gravissimis verbis (*εὐφημεῖν χρή*) inisse? Immo vero cantica illa quae etiam in via sacra canuntur (i. e. extra orchestrae parodum) minime arte cohaerent cum sacra actione quae incipit a versu demum 354.

Priusquam ad rem revertamus, liceat in universum de Eleusiniis et parodo nostra nonnulla praemittere. In eis quae sequuntur apud inferos a mystarum choro Eleusinia celebrantur. Dii quibus sacra sunt Eleusinia sunt tres: Ceres Core Iacchus[1]). Totidem personarum munus erat variis sacris praeesse atque animos sollemnibus allocutionibus ad sacra celebranda praeparare: *τοῦ ἱεροφάντου, τοῦ δᾳδούχου, τοῦ κήρυκος.* Quorum sacerdotum partes ut consentaneum est suscipit apud Aristophanem uterque chori dux. Apparet autem trium illorum munera omnino tantum duobus illis chori ducibus mandari posse. Praeterea ne dei quidem omnes tres a choro invocantur; nam exstant sola Cereris et Iacchi cantica[2]). Ut postea videbimus chori duces quem ille invocet deum semper nominatim appellant. In versibus autem 354—371 nil de aliqua dea audimus. Demum carmine exeunte dea nominatur, cum Ceres Iacchus in principio canticorum laudentur. Accedit quod verba v. 382: *ἑτέραν ὕμνων ἰδέαν*, si

---

[1]) cf. *A. Mommsen*, Heortologie p. 222 sqq., *P. Stengel*, Griech. Kultusaltertümer p. 123 sqq., *Schömann*, Griech. Altertümer II p. 338.

[2]) Versu 378 *Σώτειρα* deam Persephonen esse falso interpretatur *Kock.*

Kockium sequimur, non praebent idoneum sensum. Videtur igitur *Droysen* in translatione bene conicere Palladem Athenam ἣ τὴν χώραν (i. e. Atheniensium) σώσειν φήσ' ἐς τὰς ὥρας (v. 380). Versus 354—371 a coryphaeo recitari omnes fere consentiunt[1]). Nam quasi praeco Eleusiniis chorum linguis favere iubet atque omnes homines impuros vetat mysteriorum celebrationi interesse[2]). Postremo chorum ipsum adhortatur ut carmen festo die dignum cantet; neque dubitat chorus duci obtemperare.

Qua vero ratione animo cogitemus chorum sequentia carmina pronuntiare? Quoniam chorus e viris et mulieribus constat (cf. v. 409 sqq. v. 444), chorus bipartitus in virorum et mulierum hemichoros plane dilabitur[3]).

Spectemus num quid huic sententiae obstet. Odam igitur (vv. 372—377) cantat virorum hemichorus. Inter sese cohortantur ut laetis animis in floridos sinus infernorum pratorum procedant; feminarum hemichorus antoda (vv. 377ª—381) servatricem divam laudibus extollit. Hic certe continua oratio intercipitur. Nam cum ea quae praecedunt prooemium quasi celebrationis contineant, a versu 382 incipiunt deos quosdam singulos carminibus colere.

Versibus 382—383 coryphaeus sodales admonet ut alio genere hymnorum Cererem deam celebrent, neque abnuunt hemichori iussum ducis (vv. 384—388 =

---

1) cf. *Kock* ed. v. 354, *Fritzsche* ed. p. 191, *Muff* p. 165 adn. 1.

2) cf. *Schömann* p. 341.

3) *Fritzsche* ed. p. 187: ‚Immo duo canunt hemichoria, alterum virorum, alterum feminarum' cf. schol. ad v. 372 διαιρεθέντος τοῦ χοροῦ.

389—393). Quo facto chorus impellitur (vv. 394—396) ut Iacchum quoque cantibus invocet. Sine dubio alterius hemichori dux recitat hos versus[1]). Hic offenditur *Zielinski* quid sibi velit illud *καί* versu 395, quoniam Iacchum paulo ante sollemniter (v. 324 sqq.) chorus cantaverit. Nos quidem non miramur; nam ut supra vidimus illud prius canticum minime attingit hanc actionem.

Sed iam afferunt quae sequuntur tria cantica difficultatem vel maximam magnaque est dissensio virorum doctorum, qui huic loco operam dederunt. Proficiscamur a postremo carmine v. 409 sqq. Praeclare enim ex his versibus intellegitur fieri non posse quin hoc canticum viris addicamus[2]). Versus autem 404—408 a mulieribus cantari inter omnes fere constat[3]). Cui autem adiudicemus versus 397—403? Mea quidem sententia nil impedit quominus hoc carmen viris adscribamus. Petunt enim ab Iaccho ut chorum comitetur ad deam[4]). Fortasse cogitari potest hoc prius carmen a toto choro cantatum esse.

---

[1]) *Muff* p. 167 disserit haec: ‚*Fritzsche* und *Kock* haben nämlich mit gutem Grunde angenommen, dass die Verse 394—397 vom Daduchen als Führer des weiblichen Halbchors gesprochen worden sind, da er in den Eleusinien der Führer des fackeltragenden Jacchos war und daher zu dessen Preise am passendsten auffordert'.

[2]) cf. *Muff* p. 167, *Arnoldt* p. 146 sqq.

[3]) *Fritzsche* p. 195 sq.: ‚Itaque mediam stropham vv. 403—407 a mulieribus cantatam esse e verbis *σανδαλίσκος*, *σχιστὸς χιτών* et *σχισταί* plane intellegitur'. cf. *Muff* p. 169, *Arnoldt* p. 147. Luculenter videntur verba: *κατασχισάμενος* — *τὸ ῥάκος* spectare ad verba *χιτωνίου παραῤῥαγέντος*.

[4]) cf. *Fritzsche*, *Arnoldt*. Aliter *Muff*, qui hoc quoque carmen a mulieribus cani iubet. *Zielinski* p. 275: ‚Zur Not kämen wir

Postquam chorum interruperunt Dionysus et Xanthias duobus trimetris iambicis (vv. 414. 415), quibus poëta auditorum animos quasi ad novam actionis incisionem intendit, sequuntur qui nominantur γεφυρισμοί. Ex tota horum carminum quorum seni versus inter sese coniuncti sunt natura facile concludi potest chorum duas in partes discedere, ita ut utrique parti trini versus tribuendi sint. Omnes fere viri docti volunt haec carmina a toto choro aut ab hemichoris cantari[1]). Cui sententiae primus *Arnoldt* (p. 158. 160) repugnans versus 416—418, 422—424, 428—430 coryphaeo, versus 419—421, 425—427 choro addicit. Sed etiam has antodas censeo cantari ab una persona i. e. a mulierum hemichori duce, cuius partes inde a versu 431 quodammodo Dionysus et Xanthias suscipiunt. Minime autem utriusque hemichori haec carmina esse iam inde efficitur quod non aeque atque antea canticis tetrametri praecedunt, quibus ut cantet chorus a ducibus excitatur. Atque est certe multo verisimilius Dionysum intercipere amoebaeum duarum personarum quam utriusque hemichori[2]). Coryphaeus ubi odam finivit (v. 430), amoebaeo inter utrumque ducem interrupto, sed structura metrica servata a

---

auch mit Hemichorien durch; man brauchte bloss anzunehmen, dass Dionysos zum dritten Male angerufen, seine Ungeduld nicht mehr bezähmen kann und durch sein Dazwischentreten die vierte Strophe nicht zu Stande kommen lässt' (?).

[1]) cf. *Fritzsche* p. 197, *Muff* p. 28. 169, *Zielinski* p. 147 sqq.

[2]) *Arnoldt* p. 160: ‚Nachdem nämlich der Chorführer 430 zu singen aufhörte und für kurze Zeit Stille eintrat, redet Dionysos den Chorführer an, bevor der Chor diesem antworten konnte. Dagegen konnte Dionysos unmöglich den vollständigen Chorgesang unterbrechen'.

Dionyso interrogatur ubi sit Plutonis aedificium. Iam vero ad ipsam domum advenerunt.

Extrema in parodi parte quattuor qui praecedunt tetrametri non ab eadem persona pronuntiari possunt et manifesto utriusque hemichori uterque dux hic perspicitur. Nam postquam (vv. 440—442) coryphaeus viros admonuit ut eant per sacrum saeptum deae, per florilegium lucum, alter chori dux (vv. 444—445) virgines et mulieres impellit ut secum Persephonae pervigilium celebrent[1]). Quibus adhortationibus respondent quodammodo duo quae sequuntur carmina. Animum quaeso intendas ad verba sibi opposita *ἀνθοφόρον ἀν' ἄλσος* versu 441, *ἐς πολυρρόδους λειμῶνας* versu 448 sq., *παίζοντες* versu 442, *παίζοντες* versu 452, *φέγγος ἱερὸν οἴσων* versu 445, *φέγγος ἱλαρόν ἐστιν* versu 455. Denique illud carmen cantat virorum hemichorus, hoc mulierum hemichorus.

Paulo minus perspicue chori bipartitio cognoscitur ex Acharnensium et Ecclesiazusarum parodo.

A c h a r n e n s i u m tota parodus plane composita est ex tribus partibus. Ac primum quidem si versus 204—232 introspexeris, hos versus minime a toto choro pronuntiari posse facile intelleges.

Versus enim 204—209, 219—224 tam certe recitantur quam versus 210—217, 225—232 certe cantantur. Quoniam vero supra monuimus recitatos versus unius personae i. e. coryphaei esse, cantica autem chori, primum versus 204—209, 219—224 coryphaeo, versus 210—217, 225—232 choro attribuimus. Qua cum dis-

---

[1]) *Arnoldt* p. 154 censet Dionyso haec verba danda esse. Iniuria maxima; neque enim Dionysus dicere potest sese ‚facem portaturum esse' (*φέγγος ἱερὸν οἴσων*).

tributione concinit bene verborum tenor. Nam primum (vv. 204—209) excitantur Acharnenses, ut proditorem fugitivum persequantur neque quicquam omittant quin illum in potestatem suam redigant, chorus autem (vv. 210—217) lamentatur illum sese propter senectutem suam debilem effugisse. Tum denuo chorus a duce admonetur ut quamvis senectute impeditus tamen studio vel maximo capere illum conetur. Postremo chorus per deos iurat sese, quicunque faciat indutias cum hostibus, eum perditurum esse. Quem ad locum recte *Arnoldt* (p. 32 sq.) adnotat saepius eandem rem et eadem fere verba exsistere. Quamquam quidem eo, quod hos versus distribuimus inter coryphaeum et chorum, nonnulla offensa amoventur, tamen in universum multo aptius videtur quadrare ad hanc tam vivacem actionem, cum priorem adscribimus partem dexteri hemichori duci ac dextero hemichoro, posteriorem partem sinistri hemichori duci ac sinistro hemichoro [1]).

[1]) cf. *Christ*, Abh. d. M. A. d. W. tom. XIV p. 213: ‚Bedenkt man weiter, dass die Aufforderung *τῇδε πᾶς ἕπου δίωκε κ. τ. λ.* sich besser in dem Munde einzelner, die übrigen anfeuernden Männer ausnimmt, aus der resignierten Betrachtung *ἐκπέφευγ' οἴχεται* hingegen deutlich das Gros des Chores spricht, so wird man unserer Vermutung, dass die 2 × 4 troch. Tetrameter von den Vordermännern der beiden Halbchöre, die 2 kret. Gesänge von dem Halbchore selbst und endlich die troch. Schlusspartie von dem Koryphäos gesprochen worden seien, einen hohen Grad der Wahrscheinlichkeit nicht absprechen'. idem, Metrik [2] p. 664: ‚In der Parodus hingegen schickte Aristophanes lieber den melischen Partien troch. (?) Tetrameter voraus, welche obendrein in den Acharnern so in den Bau der Strophe eingefügt sind, dass ihnen in der Antistrophe eine gleiche Anzahl von Tetrametern gegenüber steht; etwas was vermuten lässt, dass

Ad extremum excipiunt chori canticum sex tetrametri trochaici a coryphaeo recitati quorum versus 238—240 iam ad libationem quae subsequitur magis spectant ac nos in illam quasi introducunt[1]).

Priusquam progrediamur, coniecturam quandam quae ad distributionem choreutarum pertinet paulo accuratius disseramus. Nuperrime enim *C. Wachsmuth* (Leipz. Stud. z. kl. Phil. tom. XII p. 369 sqq.) rem instituere conatus est ita, ut versus 204—207 priori chori ordini (στοῖχος), 208—218 alteri, 219—222 tertio, 223—233 quarto adscribat. Nobis causas quaerentibus respondet vir doctus suo iure (p. 382 sqq.), quoniam omnibus his particulis communis sit idem verborum sensus, qui iisdem fere verbis exprimatur, toto hoc loco minime universum chorum omnia suscipere potuisse, immo vero in diversas partes divisum mutua vice actioni interfuisse. ‚Zunächst', pergit *Wachsmuth*, ‚heben sich aus der ganzen Menge deutlich genug hervor die vom Koryphäos im befehlenden Ton ausgesprochenen Weisungen in troch. Tetrametern vv. 234—236 (mit ἀλλά auch äusserlich abgesondert) vv. 238—240 und ausserdem in vers 280 (vgl. v. 239) und v. 282'. Nonne autem versus 204—209, 219—224

die einleitenden Tetrameter von den Führern der beiden Halbchöre, die darauf folgenden paeonischen Gesänge von den Halbchören selbst vorgetragen wurden'.

[1]) cf. *Zielinski* p. 128. 249 sqq. (263), *Christ*, Abh. d. M. Ak. d. W. XIV p. 212 (‚Ich höre deutlich in den Schlussversen einen Einzelnen sprechen, aber ebenso unverkennbar klingt mir aus den Strophen und namentlich aus den Kretikern der Gesang einer Mehrzahl entgegen; wenn irgend ein Rhythmus, so war der paeonische für den vollen Chorgesang und nicht für den Sologesang geeignet'). *C. Wachsmuth*, Leipz. Stud. z. klass. Phil. tom. XII p. 382, *Muff* p. 8. 15.

prae se ferunt omnino eandem naturam i. e. adhortationem? Deinde alteram chori partem recitatione, alteram carminibus recitatis usam esse mihi quidem minime esse consentaneum videtur[1]).

Inde a versu 241 incipit libatio quae ex universa sua indole abhorrere debeat a certa quadam compositione. Versu enim 237 Dicaeopolis e domo egreditur una cum coniuge filiaque et servo, ut pompa sollemni ac sacrificiis Dionysia celebret. Quamquam Acharnenses extemplo illum e domo egredientem proditionis auctorem recognoverunt, tamen primum paulisper actionis sanctitate retinentur quominus statim in hominem illum improbum invehantur. Sed ubi ille sacrificia confecit, denuo Acharnensium chorus ira inflammatus miserrimum adit lapidibusque petit.

Versus 280—283 propter verborum sensum non a toto choro cantari posse omnes fere recentiores viri docti consentiunt[2]). Manifestum enim est versum 280 non toti choro, sed uni soli coryphaeo adscribendum esse. Cuius versus verbis simulque fortasse manus gestu postquam chori animos ad Dicaeopolidem attendit, effrenatis vocibus chorus clamitat βάλλε βάλλε κ. τ. λ. Versus 282 continet rursus adhortationem, cuius natura uni personae apta est; versus 283 aperte versui 281 respondet i. e. a choro pronuntiatur[3]). Itaque vv. 280,

---

1) *Tyrwhitt*, Comm. z. Poetik des Aristoteles p. 153: ‚totus chorus (aut plures choreutae) nunquam, opinor, nisi cantu loquebatur'.

2) *Arnoldt* p. 33, *C. Wachsmuth* p. 371 sq., *Christ*, Abh. d. M. Ak. d. Wiss. XIV p. 214.

3) *C. Wachsmuth* p. 371 sq. iubet vv. 280, 282 coryphaeum, vv. 281, 283 totum chorum loqui. *Muff* p. 15 vv. 280—283 toti choro adscribit.

282 utrique hemichororum duci, versus 281, 283 utrique hemichoro attribuendos censeo.

Optime poëta primum (v. 285) pentametro anapaestico, deinde a versu 289 metro paeonico (creticis) choreutarum animos inimicissimos significavit, quos Dicaeopolis sane frustra placidis tetrametris trochaicis placare conatur. Sed quamvis Acharnenses oret atque obsecret, ut sese per unum tantum temporis momentum auscultent, tamen ne unum quidem proditoris verbum audire volunt. Versu autem 301, ubi chori ira ad summum ascendit, subito et verborum tenor et structura metrica convertuntur. Nam cum chorus paulo ante vel brevissimam defensionem Dicaeopolidis refutarit, nunc versu 302 sqq. eius qui cum Lacedaemoniis foedus icere ausus sit ‚longas' orationes audire non vult. Unde dilucide apparet hos versus minime ab eadem persona i. e. choro dici posse. Postremum enim versibus 300 et 301 chorus, postquam quantopere illum oderit verbis vel acerbissimis expressit, nunc quasi fatigatus desistit atque coryphaeus chori partes excipit. Qui ut ducem decet sine chori furore illo tetrametris placidis et verbis minus atrocibus Dicaeopolidi proditionem obicit. Sed cum ille versu 309 sq. temere contendere ausus sit Lacedaemonios omnium malorum auctores non fuisse, etiam coryphaeus ira incensus cives adhortatur ut statim in proditorem lapides coniciant. Ita neque aliter horum versuum tenor intellegi potest atque omnino supervacanea videtur coniectura quam protulit *C. Wachsmuth* (p. 376). Qui iubet versus 315—318 ante versum 303 poni ita ut versus 317 sequatur versum 318 atque in versu 316 εἰ in ᾗ emendetur. Versum 313 Dicaeopolidi, 316 choro, 318 et 317 Dicaeopolidi attribuit. Sed si tu hoc iudicium accipis,

quid sibi volunt ante versum 310 ubi defendit Dicaeopolis Lacedaemonios haec verba: ἢ σὺ τολμήσεις ὑπὲρ τῶν πολεμίων ἡμῖν λέγειν? Nam quoniam Dicaeopolis ante versum 310 nondum pro Lacedaemoniis ulla verba fecit, hoc loco ea verba mihi videntur sensum idoneum non praebere. Ad extremum *Wachsmuth* (p. 380 sq.) utramque versuum 323—324 partem postremam inter sese esse commutatam censet. Sed iterum cur vir doctus hic putet emendandum esse equidem minime video. Nam postquam chorus contendit sese potius periturum quam Dicaeopolidem auditurum esse, tum respondet ille ironice: μηδαμῶς ὠχαρνικοί i. e. ἐξόλοισθε [1]). Nonne igitur verba sensum exhibent vel optimum? Quae cum ita sint, versuum 302—334 tripartitionem, quam *Wachsmuth* ex coniecturis illis conclusit, caducam esse nemo negabit.

Aliud proponit *Zielinski* (p. 129 et 352 sq.). Nostrum enim locum dividit duas in partes quae inter se accurate respondent neque sine probabilitatis specie demonstrare conatur usque ad versum 318 dexteri hemichori ducem aut coryphaeum, inde ab hoc versu ad versum 334 sinistri hemichori ducem verba facere [2]). Sed haec res mihi satis lubrica videtur.

Redeamus ad rem. Iam pridem Dicaeopolis consilium machinatus est, quo fretus aequo animo rem ad extremum discrimen accedere sinit. Alter enim Telephus carbonum fiscum Acharnensibus carissimum arripit minitans ubi lapides iacturi fuerint illum esse periturum. Versu 334 finem assecutum est diverbium inter Dicaeopolidem et coryphaeum. Chorus autem

---

[1]) cf. Literar. Centralblatt 1874 p. 175 sqq.

[2]) cf. *Zacher*, Wochenschr. f. klass. Phil. 1886 Nr. 50 p. 1571.

universus permagno timore cruciatus eodem metro ac versu 285 sqq., quo efficaciter Acharnensium cura et sollicitudo effingitur, Dicaeopolidi supplicat ne sibi carissimum eripiat. Libenter concedunt ut de Lacedaemoniis loquatur ‚quomodo ei placeat' atque sine mora, ubi ille gladium vaginae reddidit, lapides abiciunt.

Num vero hoc quoque loco putemus chorum duas in partes discedere, id mihi maxime incertum est. Quod quamquam nullo argumento allato *Zielinski* statuit, tamen a toto choro utrumque carmen cantari persuasum habeo; nam, ut unum afferam, fieri non potuisse puto ut dimidia tantum chori pars verbis *ἐκσέσεισται χαμᾶζ' κ. τ. λ.* exclamaret, altera autem chori pars silentium teneret. Certe multo magis audientium animi commovebantur, si hoc canticum a toto choro pronuntiabatur.

In Ecclesiazusarum prima parodo praecedunt quattuor tetrametri quibus chorus ut citius progrediatur excitatur. Quos versus a coryphaeo dici per se liquet. Eorum quae succedunt canticorum neutrum a toto choro cantatum esse videtur. Altero enim (vv. 289—299) choreutae ipsi ut festinent inter sese cohortantur, altero carmine Praxagorae verba *τὸν τρόπον μιμούμεναι τὸν τῶν ἀγροίκων* exsequuntur. Itaque odam illam hemichoro dextero, antodam hemichoro sinistro adiudicabimus. Versu 310 chorus relinquit orchestram[1]).

[1]) *Arnoldt* p. 99 sqq. demonstrare conatus est versu 289 chorum mulierum rusticarum orchestram ingredi ac carmine cantato sese quoque conferre ad ecclesiam. Sed recte mea quidem sententia *Muff* p. 170 sqq. explicavit canticum illud nonnisi ab urbanis mulieribus cani posse. Nam, ut cetera omittam, quae obiecit

Versu 478 chorus ecclesia finita postquam iterum orchestram adiit, gravibus verbis admonetur ut provideat ne ex improviso opprimatur. Quibus tetrametris (vv. 478—482) quamquam immiscentur duo dimetri iambici, tamen hos versus praecipue coryphaei esse certe contendi potest[1]).

Ex versibus 483—503 primum facile discernuntur versus 489—492, 500—503 (tetrametri), qui certe ab una persona pronuntiantur; nam et illic et hic chorus ad festinandum impellitur. Priore carmine (vv. 483—488) chorus repetit idem fere quod coryphaeus versibus 478—482 dixit, altero autem carmine (vv. 493—499) choreutae inter sese cohortantur ut quam celerrime vestimenta mutent. Itaque quoniam supra vidimus chorum bipartitum esse, certe hic quoque illud canticum dexter, hoc sinister hemichorus, illos tetrametros dux dexteri, hos dux sinistri hemichori pronuntiat.

Altera huius parodi pars incipit ab adventu Praxagorae; inde enim a versu 504 admonet Praxagora trimetris iambicis mulieres, ut virorum vestimentis abiectis festinanter ad eos redeant. Statim chorus hoc factum esse respondet simulque interrogat Praxagoram quid tum iubeat. Praxagora adhortatur sodales ut in posterum quoque eadem virtute ac constantia atque antea sese adiuvent[2]).

Pluti parodi prior pars (vv. 253—289) complectitur Carionis et chori diverbium, quo Carion

---

sagaciter *Muff* viro illi docto, tamen id unum maxime absurdum videtur versus 285—288 a coryphaeo mulierum urbanarum dici, contra versus 289 sqq. a mulieribus rusticis cantari.

[1]) *Muff* p. 137.

[2]) *Muff* p. 173.

agricolis advocatis explicat, cur Chremylus eos huc collegerit. Coryphaeum tetrametros pronuntiasse per se intellegitur. Inde a versu 290 gaudio exsultantes Carion et chorus incipiunt amoebaeum. Quod ad verborum tenorem attinet, cohaerent versus 296—301 et 290—295, 309—315 et 302—308. Qua ratione hoc in amoebaeo utitur chorus? Verisimillimum videtur esse coryphaeum antodas cantasse ac chorum non nisi ad ducis et Carionis carmina saltasse[1]).

Nubium parodi prior pars pertinet inde a versu 263 usque ad versum 313. Primum Socrates semel a Strepsiade interceptus (vv. 267—268) ‚immensum Aerem Aetherem Nubes implorat'. Versibus 275—290 chorus canit sese nebulosa specie exuta spectare velle terram oculo longe prospiciente. Socrates ubi primum versu 291 divas Nubes iterum invocavit, interrogat Strepsiadem, num audiverit dearum vocem. Quem, cum ineptis facetiis pietatem dearum laedere audeat, ille silere iubet. Hi versus arte cohaerent cum versibus 263—274. Versibus 299—313 inter sese Nubes impellunt ut ‚in Minervae splendidam terram sese conferant'[2]).

---

1) *Arnoldt* p. 108: ‚Was in diesem Stück mit der Personenbezeichnung Χορός versehen ist, scheint, wie schon von verschiedenen Seiten bemerkt worden ist, einzig und allein der Chorführer vorgetragen zu haben'. cf. *Zielinski* p. 157 sq.

2) Acutam coniecturam primo obtutu videtur *Zielinski* de hoc loco fecisse. Proficiscens a versu 315 (*μῶν ἡρῷναί τινές εἰσιν;*) contendit ante versum 299 versus quosdam excidisse; censet enim Strepsiadem ex eis quae praecedunt minime hanc Nubium speciem concludere posse. Idcirco quoniam comoediae proprium sit chori accessum verbis ipsis quoque expressis significari,

Num chorus sit bipartitus, nil refert, quoniam deae ‚nebulosa specie' indutae sunt i. e. cerni non possunt.

Strepsiadi quaerenti qui sint cantores respondet Socrates (vv. 316—318) eas esse caelestes Nubes quae hominibus suggerant sententias, dicendi peritiam, mentem, alia. Quibus rebus attentus Strepsiades praeceptorem interrogat num liceat eas videre (v. 322). Quamquam interea Nubes de Parnethis culmine descendunt atque orchestrae appropinquant, tamen Strepsiades eas non prius conspicit quam orchestrae aditum ipsum occupaverint (v. 328 *πάντα γὰρ κατέχουσιν*) [1]. Exspectatur ilico aut alterum utrum ex histrionibus chorum aut chorum allocuturum esse histriones. Sed mirum quantum Socrates scurriliter fabulatur de dearum specie; quod sane parum decet earum sacerdotem, praesertim cum Nubes ipsae praesentes sint (vv. 329—355). Tandem versu 356 Stre-

---

in exitu versuum 291—298 desiderat tales significationes. Nec sine veri specie probabile facit fragmentum 319 ed. *Kock.* *ἐς τὴν Πάρνηθ' ὀργισθεῖσαι φροῦδαι κατὰ τὸν Λυκαβηττόν* huc spectare. (cf. *Buecheler* Neue Jahrb. f. Phil. 1861 p. 664 sqq.) Causam cur Nubes iratae sese rettulerint explicat recte esse ut ita dicam *βωμολοχίαν,* quae nos versus 293—298 perlegentes minime effugere potest. Sed quamvis acute *Zielinski* hanc rem tractaverit, tamen haec coniectura mihi quidem falsa videtur esse. Neque enim versibus 314 et 315 chorus ab utroque histrione iam conspicitur ac vere Strepsiades ex cantu solo dearum genus non intellegere, sed optime concludere vel conicere potest. Si Strepsiades deas vere conspexisset, fieri non potuisset quin verbis illis uteretur; sed quia eas non videt, eam ob causam etiam errat. Versu quidem 322 *ὥστ' εἴ πως ἔστιν, ἰδεῖν αὐτὰς ἤδη φανερὰς ἐπιθυμῶ* viro docto persuadere non poterimus, quippe qui versus 316—340 alteri editioni Nubium adscribat.

[1]) *Schoenborn*, Skene der Hellenen p. 349.

psiades deas sollemnibus verbis salutat. Extemplo etiam chorus i. e. coryphaeus verba facere coepit; affatur autem, quod nos minime miramur, non Strepsiadem, sed Socratem, Nubium sacerdotem, atque interrogat eum quid velit. Tantum vero abest ut Socrates respondeat, ut discipulum de dearum potentia docere pergat. Quod diverbium finitur versu 411. Inde a versu 412 collaudat coryphaeus Strepsiadem quod a sese praeclaram cupiverit sapientiam; itaque si studium non desit, pollicetur eum fore omnium Graecorum beatissimum. Quae cum ita sint, Strepsiades sese omnia libenter suscepturum esse profitetur (vv. 420—422). Subito autem nulla conspicua causa denuo incipit Socrates de Nubium potentia disserere additis Chao et Glotta deis, quorum antea ullam nondum fecit mentionem. Versu 427 coryphaeus Strepsiadem ipsum admonet ut quid cupiat exponat. Cui ille ilico obsequitur.

Verborum tenorem inde a versu 412 non convenire iam *Fritzsche*, *Buecheler*, *Kock*[1]) intellexerunt. Itaque hic vir doctus mavult versum 411 subsequi versus 423—426, deinde 412—422, deinde 435 sqq., cum versus 427—434 retractationi attribuat. Sed recte ei obicit *Zielinski* ne versu 423 quidem verborum verum sensum continuari. Immo vero chorum, quoniam in eis quae antecedunt Socratem allocutus est, nunc Strepsiadem appellasse puto et exhortatum esse ut quid cupiat dicat. Cuius orationis quasi fragmentum videtur contineri versibus 427 sqq., fortasse huc pertinent etiam versus 412—422.

---

[1]) *Fritzsche*, De fabulis retractatis III 6, *Buecheler*, N. Jahrb f. Phil. 1861 p. 664 sqq., *Kock* p. 34 sqq.

Versu 437 sqq. Strepsiades prae se fert sese libenter omnia perlaturum esse, dummodo sibi usui sint. Quod canticum aperte parodi finis videtur fuisse; itaque extremi versus 457—477, qui nos ad sequens diverbium traducunt, excitant scrupulum[1]).

Postremo quae de parodi altera parte exposuimus, liceat paucis comprehendere.

vv. 314—328. 356. 357 diverbium inter Socratem et Strepsiadem
vv. 358—363 coryphaeus
vv. 364 sqq. (??) diverbium inter coryphaeum et Socratem
vv. (412—422) 427—428 coryphaeus (aut dux sinistri hemichori)
vv. 429—438 diverbium inter coryphaeum et Strepsiadem
vv. 439—456 Strepsiadis canticum

Num vero qui restant versus 329—355, 364—411, 423—426, 457—477 prioris fabulae agonis reliquiae an retractationis additamenta sint, equidem discernere non molior. Id unum praedico inter versus 329—355 et 364—411 rationem quandam intercedere, ita ut illic de Nubium specie, hic de natura ac potentia agatur.

Similiter atque Equitum Pacis parodus initium capit. Nam ut illic servus ita hic Trygaeus auctor est chori aggredientis. Sane quidem versus 296—298 offendunt, quia, quamquam cum versu 299 sq. coniuncti cohaerent, tamen trimetri iambici sunt, non tetrametri trochaici.

---

[1]) Hos versus *Zielinski* p. 51 conicit esse agonis corrupti antodam una cum anticataceleusmate (?).

Chorus postquam omnes quicunque adsunt Graecos impulit ut quam celerrime ad salutem restituendam auxilio veniant, Trygaeum quid faciant consulens (v. 305) pollicetur neminem prius destiturum esse quam vectibus machinisque deam in lucem protraxerint. Summo gaudio elati incipiunt saltare ac magna voce quam brevi adepturi sint salutem laudibus praedicare. Quamvis Trygaeus conetur chorum retinere ne Polemum clamore excitet, tamen gaudio totum se dedit periculo prorsus neglecto. Cuius partis finem efficit parvum Trygaei canticum (vv. 337—345), quo iterum atque iterum chorum admonet ut priusquam deam prehenderint silentium teneat. Quoniam qui manifesto ut supra vidimus duas in partes caeduntur versus 301—308 ab eadem persona dici verisimile non est, priores quattuor versus duci dexteri hemichori, quattuor qui sequuntur versus duci sinistri hemichori adscribere alienum non erit[1]). Colloquio quod inter sese habent Trygaeus et chorus (vv. 309 sqq.) verbis utitur solus coryphaeus.

Trygaei verba postquam excepit chori canticum, quo primum omnium malorum, quae patiebantur totum per bellum, recordatur, ad extremum Trygaeum patriae servatorem celebrat. Statim versu 361 Trygaeus chorum admonet ut lapides amoliantur[2]). Ex improviso revertens Mercurius Trygaeo minatur sese totum inceptum Iovi proditurum esse. Trygaeus vero cum illum precibus suis ipsius ut taceat commovere

---

[1]) cf. Equitum Vesparum parodos.

[2]) *Zielinski* p. 138 hoc canticum cum iis quae praecedunt cohaerere contendit. At Trygaei verba (v. 361) sese applicant optime postremis chori verbis; quam ob rem credo chori canticum minime ab eis quae sequuntur dirimi posse.

non possit, postremo trimetris iambicis subito in tetrametros trochaicos mutatis (v. 383 sq.) a choro auxilium petit. Qui extemplo Mercurium orat rogatque ne quid sint facturi Iovi indicet (vv. 385—397). Hoc canticum una cum versu 388, quo Trygaeus verbis utitur, accuratissime versibus 346—360 respondere subtiliter ostendit *Arnoldt* (p. 59). Qua de causa altera pars (oda) dextero hemichoro, sinistro altera (antoda) attribuenda videtur. Pergitur diverbium versu 400, quo Mercurius a Trygaeo certior factus Lunam et Solem inter sese coniuratos esse contra deos, persuadenti aures praebet magis magisque secundas; tandem phiala donatus ipse ad deam protrahendam chorum adhortatur, et ita quidem ut versu 426 ad tetrametros trochaicos transeat aeque ac Trygaeus versu 383. Qua de causa chorus profitetur sese omnia quae ille sibi suadeat libenter esse facturum. Tetrametros non chorum, sed coryphaeum loqui apparet. Inde a versu 431 Trygaeus una cum Mercurio choroque sacrificium instaurant. Qua in parte non magis quam in Acharnensium libatione certa compositio exspectatur. Cuius episodii finis est versus 458, ubi coryphaeus omnes impellit ut funibus lapidem deducant.

Amoebaeo quod sequitur Mercurius et Trygaeus et coryphaeus aut dux dexteri hemichori sese chorumque stimulant. Versu 473 incipit breve diverbium inter Trygaeum Mercurium coryphaeum. Nam quod Lamachus Argivi Megarenses parum strenue trahant, tres illi vehementer indignantur. Denuo versu 485 Trygaeus omnes admonet ut ad opus conficiendum enitantur atque contendant. Sed hac in antoda pro duce dexteri hemichori iubemus sinistri hemichori

ducem verba facere. Versibus 500—507 Mercurius Megarenses et Athenienses vituperat quia consilio peragendo obstant. Quamquam neque in hac particula omnes tres personae exsistunt neque versuum numerus accurate respondet, tamen non solum propter idem metrum, sed etiam propter idem verborum argumentum duae illae partes inter se videntur quasi oppositae esse. Iterum coryphaeus Mercurius Trygaeus (vv. 508—511), quos excipit inde a versu 512 sqq. totus chorus, ut omnes nervos contendant, inter sese exhortantur.

Pertractavimus Pacis parodum quasi integram atque incolumem. Sed quoniam constat fabulam et maxime parodum nostram retractatam esse traditam, non alienum esse puto nonnulla, etiamsi non speremus quaestionem ad certum exitum adductum iri, breviter monere. Et illud quidem iam supra significavimus maxima ex parte huius parodi structuram metricam longe distare a ceteris parodis. Huc pertinent versus 296—298, 361—382, 400—425, 473—485, 500—507. Sed multo maiorem difficultatem praebet verborum tenor. Nam ne eum quidem, qui obiter hanc parodum inspexerit, chorum partim ex agricolis Atticis partim ex omnium civitatum Graecarum civibus compositum esse effugiet. Unde profecti viri docti *Stanger*[1]) et *Braeuning*[2]) optimo iure enucleaverunt nostram fabulam ortam esse ex duabus fabulis, quarum alterius chorus ex agricolis Atticis, alterius ex omnium civitatum Graecarum civibus constiterit. Quin etiam prioris Pacis

---

[1]) *Stanger*, Über Umarbeitung einiger Aristophanischen Komoedien Leipzig 1870 p. 30 sqq.

[2]) *Braeuning* p. 15 sqq. cf. *Zielinski* p. 63 sqq.

parodum restituere conatur *Braeuning*. Neque enim sine probabilitatis specie versus 296—308 et 431—519[1]), e quibus plane eluceat hic chorum constare ex universae Graeciae civibus, posteriori Paci, contra versus 309—430 priori adscribit. At parum rationem habuit vir doctus structurae metricae. Versus enim 361 sqq. et 400 sqq. non concinere inde apparet quod trimetri iambici nulla perspicua causa versibus 383. 426 in tetrametros trochaicos vertuntur. Aeque res se habet de versu 508 sqq. Qui tetrametri parodi sunt; quo trimetri illi pertineant in dubio est.

Sed de hac re hactenus.

Quibus argumentis primum id effecisse mihi videor comoediae parodum si hanc vocem usurpare volumus, nequaquam primam chori dictionem intellegi posse, sed ut ita dicam integrum fere actum.

Porro quaerentibus quale sit compositionis genus singulis in parodi partibus, Nubium[2]) Pacis, quippe quae fabulae retractatae nobis traditae sint, rationem habendam non esse censeo.

Ac primum quidem paucis complectamur eas parodorum partes, quibus solus chorus interest; nam maxime hisce locis poëtam certas leges normasque secutum esse satis apparet. Si igitur cantica littera **a**, versus recitatos (tetrametros) littera **b** atque eas quae sibi respondent partes litteris a_1 a_2 b_1 b_2 significamus, haec inveniuntur schemata:

---

[1]) Plane autem versus 508—511 huc non pertinent; in eis enim non nisi *οἱ γεωργοί* (vv. 508. 511) appellantur.

[2]) Priorem quoque parodi partem omitto, quia chorus extra orchestrae parodum cantat.

Ach.:	I	b_1 a_1 b_2 a_2 b
Vesp.:	I	b_1 b_2 b
	III	b_1 b_2 a_1 a_2
Lysistr.:	A I	b a_1 b_1 a_2 b_2
	II	a_1 a_2 b_1 b_2 b
	B I	b a_1 a_2
Ranae:	I	b a_1 a_2 — b a_1 a_2
		b a_1 a_2 a_1 (a_2 ?)
	III	b_1 b_2 a_1 a_2
Eccles.:	A	b a_1 a_2
	B I	b a_1 b_1 a_2 b_2

Hic afferre liceat Ranarum parodi amoebaeum (particulam II) inter utrumque ducem a_1 a_2 — a_1 a_2 — (a_1 a_2 — a_1 a_2 Dion. Xanth.) atque Pluti amoebaeum (particulam II) inter Carionem et coryphaeum a_1 a_2 a_1 a_2 a_1 (a_2 ?). Unde dilucide evincitur longe saepissime schema a_1 a_2 et b_1 b_2 exstare i. e. numerum quendam cantatorum versuum excipi eodem numero cantatorum versuum atque numerum quendam recitatorum versuum excipi eodem numero recitatorum. Neque raro animadvertimus huic compositioni numerum quendam versuum recitatorum antecedere (in Lys. B I Ran. I Eccl. A) vel succedere (in Vesp. I Lys. A II). Contra magis implicatam partitionem (epirrhematicam) bis tantum exhibitam videmus (in Lysistrata I Ecclesiazusis B I: b a_1 b_1 a_2 b_2, in Acharnensibus I: b_1 a_1 b_2 a_2 b); huc spectat fortasse altera quoque Avium parodi pars, quae mirum in modum convenit cum ea compositione, quam *Zielinski* in agone statuendam esse putabat. Si placet, hoc schema paucis depingam:

vv. 327—335 ᾠδή
„ 336—338ᵃ κατακελευσμός
„ 338ᵇ—342 ἐπίρρημα
„ 343—351 ἀντῳδή
„ 352—353 ἀντικατακελευσμός
„ 354—363 ἀντεπίρρημα

Sane epirrhema et antepirrhema inter sese non accurate respondent. Quarum omnium partium argumenta parum actuosa esse per se liquet.

Simulac vero in parodo actio fit quasi vivacior sive duo chori (coryphaei) inter sese contendunt sive chorus cum histrionibus coniunctus nobis occurrit, certam compositionem neglegi necesse est (Ach. III Equ. tota parodus, Vesp. II. IV Av. I. III. IV. Lys. B II Pluti I) atque dumtaxat lex responsionis valere potest (Ach. III Equ. II. III Av. IV).

Quae cum ita sint, comoediae parodi quodammodo propriam et cum eius indole coniunctam fuisse compositionem epirrhematicam concedi minime potest. Immo vero comicae parodi partitionem plerumque quae in tragoediis obtinet compositioni (episodicae) haud dissimilem esse vidimus, ita ut facile in eam sententiam inducamur comoediae parodum a tragoedia derivatam fuisse. Itaque quod nonnunquam eam ad agonis vel parabasis partitionem (epirrhematicam) proprius accedere invenimus, id ex imitatione illarum comoediae partium videtur effectum esse. Ceterum neminem esse puto qui neget poëtam nostrum persaepe leges normasque perrupisse.

Iam in calce addere placet tabulam, qua omnium fabularum parodi ita sub uno conspectu ordinentur, ut et singularum partium responsio et personarum mutationes et cantatorum recitatorumque versuum con-

diciones appareant: itaque in hoc indice diductis litteris significavi quaecunque cantata esse constat, inclinatis quae recitata sunt.

Acharnenses.

I. 204—209 *dexteri chori dux* (coryph.)
210—217 dexter hemichorus
219—224 *sinistri chori dux*
225—232 sinister hemichorus
234—240 *chori dux* (coryph.)

II. 241—279 pompa Dionysi.

III. a) 280—283
280 dexteri chori dux
281 dexter hemichorus
282 sinistri chori dux
283 sinister hemichorus
b) 284—301 chorus
c) 302—334 *chori dux et Dicaeopolis*
b) 335—346 chorus

Equites.

I. 242—246 *servus A*

II. 247—250 *dexteri hemichori dux*
251—254 *sinistri hemichori dux*

III. 255—257 *Paphlago*
258—265 *coryphaeus*
266—268 *Paphlago*
269—272 *dexteri hemichori dux*
273 *Paphlago*
274ª. 274. 276. 277 *sinistri hemichori dux*
275 *Paphlago*
278—302 *Paphlago Allantopoles (servus A 282 sq.)*

Nubes.

I. 263—274 *Socrates* (Strepsiades)
-275—290 chorus
291—298 *Socrates* (Strepsiades)
-299—313 chorus

II. 314—328. 356 sq. *Socrates et Strepsiades*
358—363 *(dexteri) chori dux ad Socratem*
— *chori dux et Socrates*
(412—422) 427—428 *(sinistri) chori dux ad Strepsiadem*
429—438 *chori dux et Strepsiades*
439—456 Strepsiades
457—475 chorus

Vespae.

I.-230—234 *dexteri hemichori dux*
-235—239 *sinistri hemichori dux*
240—247 *coryphaeus*

II. 248—258 *chori dux et unus puer*

III.-259—265 *dexteri hemichori dux*
-266—272 *sinistri hemichori dux*
273—281 dexter hemichorus
-282—290 sinister hemichorus

IV. 291—315 chori dux et unus puer

Pax.

I. 296—300 *Trygaeus* (trim. et tetram.)

II. 301—304 *dexteri hemichori dux*
305—308 *sinistri hemichori dux*
309—336 *Trygaeus et chori dux*
337—345 Trygaeus

III. 346—360 dexter hemichorus
361—384 *Mercurius et Trygaeus* (361—382 trim.)
385—399 sinister hemichorus
400—425 *Mercurius et Trygaeus* (trim.)
426—430 *Mercurius et chori dux*

IV. 431—458 sacrificium

V. 459—472 Mercurius, chori dux, Trygaeus
473—485 *Mercurius et Trygaeus* (trim.)
486—499 Mercurius, chori dux, Trygaeus
500—507 *Mercurius et Trygaeus* (trim.)
508—511 *chori dux*, *Mercurius*, *Trygaeus*
512—519 chorus

Aves.

I. 267—309 *Epops*, *Euelpides*, *Pisthetaerus*

II. 310—326 *chori dux et Epops*
327—335 dexter hemichorus
336—338ᵃ *dexteri hemichori dux*
338ᵇ—342 *Pisthetaerus et Euelpides*
343—351 sinister hemichorus
352—353 *sinistri hemichori dux*
354—363 *Pisthetaerus et Euelpides*

III. 364—385 *chori dux et Epops*

IV. a) 386—399 Pisthetaerus et Euelpides
b) 400—405 *chori dux*
406—431 chori dux et Epops
406 = 407, 408 = 409, 410—412ᵃ = 413—415, 416 = 417, 418—421 = 422—426, 427—428 = 429—431. cf. p. 36.
432—434 chorus

Lysistrata.

A 254—318

I. 254—255 *chori dux*
256—265 dexter hemichorus
266—270 *dexteri chori dux*
271—280 sinister hemichorus
281—285 *sinistri chori dux*

II. 286—295 dexter hemichorus
296—305 sinister hemichorus
307—311 *dexteri chori dux*
312—316 *sinistri chori dux*
317—318 *chori dux* (coryph.)

B 319—386

I. 319—320 *chori dux*
321—334 dexter hemichorus
335—349 sinister hemichorus

II. 350—381 *chori duces virorum et mulierum* (tetr.)
382—385 *chori duces virorum et mulierum* (dim.)
386 (tetr.)

Ranae.

I. 354—371 *coryphaeus*
372—377 dexter hemichorus virorum
377[a]—381 sinister hemichorus mulierum
382—383 *dexteri hemichori dux*
384—388 dexter hemichorus
389—393 sinister hemichorus
394—396 *sinistri hemichori dux*
397—403 dexter hemichorus
404—408 sinister hemichorus
409—413 dexter hemichorus
414—415 Xanthias Dionysus (trim.)

II. 416—418, 422—424, 428—430, 434—436 dexteri chori dux
419—421, 425—427, 431—433, 437—438 sinistri chori dux (Dion. Xanth.)

III. 440—442 *dexteri hemichori virorum dux*
444—445 *sinistri hemichori mulierum dux*
448—453 dexter hemichorus virorum
454—459 sinister hemichorus mulierum

Ecclesiazusae.

A. 285—288 *chori dux*
289—299 dexter hemichorus
300—310 sinister hemichorus

B. I. 478—482 *chori dux*
483—488 dexter hemichorus
489—492 *dexteri hemichori dux*
493—499 sinister hemichorus
500—503 *sinistri chori dux*

II. 504—513 *Praxagora* (trim.)
514—519 *chori dux et Praxagora*

Plutus.

I. 253—289 *Carion et chori dux*

II. 290—321 Carion et coryphaeus
290—295 Carion
296—301 coryphaeus
302—308 Carion
309—315 coryphaeus
316—321 Carion

VITA.

Natus sum *Georgius Maximilianus Hugo Rosenbusch* Hannoverae anno MDCCCLXVIII a. d. VII Id. Nov. patre *Ludovico* matre *Adolphina* e gente *Brandes* quos superstites quoad vivam gratissimo animo colam. Fidei addictus sum evangelicae. Gymnasio mandaverunt parentes Lyceo II, quod tum florebat sub *Wiedaschii* auspiciis. Inde vere anni MDCCCLXXXVII maturitatis testimonio instructus Gottingam migravi ubi per bis sex menses studiis operam navabam philologicis; deinde me contuli Bonnam unde vere anni MDCCCLXXXIX Gottingam redii. Illic interfui scholis virorum doctorum *Buecheler Kekulé Klein Lamprecht Luebbert Nissen Usener*, hic *Friedensburg K. Goedeke Mor. Heyne Elias Mueller Sauppe Volquardsen Weiland de Wilamowitz-Moellendorff.* Sequente semestri profectus sum ad hanc almam literarum sedem. Docuerunt me viri clarissimi *Bergmann Birt Cohen Graf Judeich Juelicher Lamprecht Link Mirbt Niese Leop. Schmidt Werner Wissowa.* In seminarium philologicum Marpurgense ut reciperer egregia erga me *Birtii Schmidtii Wissowa* benevolentia factum, quorum virorum praeclara disciplina per ter sex menses usus sum. Praeterea benigne mihi concesserunt ut interessem exercitationibus historicis *Benedictus Niese*, philosophis *Bergmann* et *Cohen.* Omnibus meis praeceptoribus quid debeam nunquam obliviscar gratiasque ago quam maximas, imprimis vero *Georgio Wissowa* qui praeter ceteros studiis meis faverit.